

per quod tale opus specialiter appropria- A
retur Spiritui Sancto;

RESP. AD ARGVM.

Attributa præsupponunt essentiam, id est nostro modo intelligendi: & personis ratione attributorum propriæ operatio- nes, id est se- sequitur, ut eis approprietur es- sentia propter talem distinc- tionem. Cuilibet per sona appro priari pos- test incar- nationis: sed potissimum Spiritui S.

Ad primum dicendum, quod opera- tiones diuinæ appropriantur aliquibus attributis diuinis, & quia omnia attribu- ta præsupponunt diuinam essentiam, ideo non sequitur, quod si aliqua ope- ratio appropriatur alicui personæ diui- nae, quod ei approprietur diuina es- sentia.

Ad secundum dicendum, quod quam- tuis opus incarnationis possit appropri- ri cuilibet personæ diuinæ, tamen potis- simè debet appropriari Spiritui Sancto, tam ex parte diuinorum attributorum, quam ex parte diuinorum personarum.

Ad tertium dicendum, quod in om- nibus operibus diuinis generaliter relu- cet diuina potentia, quæ appropriatur Patri, sed in opere incarnationis specia- liter relucent diuinus amor, & bonitas, & gratia, & iustitia. Et quia speciale etiam secundum Iuristas, & bene, in hac parte derogat generali, ideo incarna- tionis opus tanquam quid speciale, specialiter appropriatur Spiritui Sancto.

Ad quartum dicendum, quod Pater, ex quo habet autoritatem in Filium, in opere incarnationis dicitur habere aliquid specialiter proprium: Spiritus Sanctus vero, quia non habet aliquid proprium, dicitur habere aliquid appropriatum, ex quibus ei specialiter appropriatur opus incarna- tionis.



PARS I.

ARTIC. III.

Vtrum Christus ex appropriatione Spi- ritus Sancti ad opus incarnationis posse dici filius Spiritus Sancti. Conclusio est negativa.

D. Thom. 3. p. q. 32. art. 3. Caiet. & Medina ibidem. Ricchard. in 3. dist. 4. q. 2 D. Bonau. in 4. d. 4. art. 1. q. 1. Argent. q. 1. art. 4. Alens. 2. p. q. 8. memb. 4.

B ERTIO queritur Vtrum opus incarnationis ita specialiter approprietur Spiritui Sancto, quod Christus incarnatus possit dici filius Spiritus Sancti.

Et videtur, quod sic. Nam in incarna- tione, non obstante, quod eam tota Tri- nitas operata est, tamen homo Iesus Christus specialiter dicitur Dei Patris Filius: pari ergo ratione potest dici filius Spiritus Sancti, vel totius Trinitatis, speciali- ter tamen Spiritus Sancti, quia ei specia- liter appropriatur incarnationis opus.

Præterea, secundum Philos. in 15. de animalibus, ut supra per multas authori- tates ostendimus, in generatione prolis mater administrat materiam, & se habet, ut quid passuum, Pater autem inducit formam, & se habet ut quid actuum: & quia in generatione Christi Spiritus Sanctus se habuit, ut quid actuum, & fecit totum illud, & amplius, quod in alijs hominibus facit paternum semen; ergo &c.

D. Præterea ex hoc dicitur aliquis pater alicuius hominis, quia conceptus est ex ipso in utero matris, de qua est natus, quia hoc verificatur de Christo respectu Spiritus Sancti, & Mariae Virginis, iuxta illud Symboli: *Qui conceptus est de Spi- ritu Sancto, natus ex Maria Virgine:* ergo &c.

Præterea, Videtur, quod Christus pos- sit dici filius totius Trinitatis: sed quod competit toti Trinitati competit Spiritui Sancto, ergo &c. Probatur assumptum. Nam quilibet creatura, secundum quod huiusmodi, potest dici Filius Dei, vel to- tius Trinitatis, quæ creauit eam, iuxta il- lud Deuteronom. c. 32. *Nunquid non ipse est deus deus tuus, Pater*

Pater tuus, qui creauit te, &c. sed Christus, secundum quod homo, potest dici creature, iuxta August. 4. de Trinit. c. 19. vbi dicit, Christum Dei Filium factum esse creaturam, per quem facta est omnis creatura.

IN CONTRARIVM est Magister in littera, qui assignas differentiam inter Christum natum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, ait, quod sic natus est de Maria Virgine, quod est eius filius; sed sic natus est de Spiritu Sancto, quod non est eius filius.

Præterea. si Christus posset dici filius Spiritus Sancti, hoc esset, quia esset eius filius adoptivus: sed vt infra patet, Christus non debet dici filius adoptivus, sed solum naturalis: ergo &c.

R E S O L V T I O .

Christus non potest dici filius Spiritus Sancti, quia, et si habeat rationem principij actiui in generatione Christi, quod est unum ex quinque requisitis ad hoc, ut aliquis dicatur pater alicuius, secundum carnem: tamen non præbuit semen: non se habuit naturaliter: non communicavit substantiam suam: neque fecit sibi similem in natura: quæ sunt alia quatuor ad carnalem generationem requisita.

RESPONDEO dicendum, quod Augustinus hanc quæstionem definit in pluribus locis, & specialiter determinat eam in Enchirid. cap. 36. vbi ait, quod Christus sic natus est de Spiritu Sancto; quod nullo modo sit filius Spiritus Sancti. in eodem autem lib. cap. 37. soluit argumentum factum: quare Christus dicatur natus de Spiritu Sancto, & tamen non dicatur filius Spiritus Sancti, quia non quicquid nascitur de aliquo, debet dici filius eius; Nam de homine nascitur capillus, & vermiculus, tamen nihil eorum est filius hominis. Sed quia fortè aliquis diceret, capillus, &c. huiusmodi nascuntur de homine materialiter, sed Christus natus est de Spiritu Sancto effectuè, quia opus incarnationis causauit, & fecit Spiritus Sanctus: ideo ibidem aliud exemplum adducit, quod quilibet baptizatus dicitur regeneratus, vel natus ex aqua, & Spiritu

Tom. 3.

Non omne, quod nascitur de aliquo, dicitur filius eius.

Aegid. super iij. Sent.

D.P. Aug.
tom. 3.

Sancto, & tamen nullus baptizatus dicitur filius aquæ, & si possit dici quod aqua Baptismi causat, & auget in nobis gratiam, quia sacramenta nouæ legis non sunt sacramenta ægenera, quod solum sint signa, & non causa gratiæ, quia suo modo omnia huiusmodi sacramenta sunt causantia, & efficientia ipsam gratiam.

Sacramenta
nouæ legis
causant gra-
tiam.

Hæc etiam materia satis tractatur in littera, quod Christus sic natus est de Spiritu Sancto, vt non sit filius eius. Verba enim Magistri in littera posita, sunt de sumpta ab Augustino in Enchirid. locis citatis, neque solum in Enchiridio quæstionem præfamat definit Augustin. sed etiam determinat eam 2. de Trinit. c. 10. vbi ait: *Nec enim Iesus Spiritus Sancti filius, aut etiam filius suus credi, aut intelligi potest.*

Tom. 3.

Est autem hæc veritas quæstionis propositæ, quod Christus sic natus est de Spiritu Sancto, vt non sit filius eius. Verum hanc veritatem diuersi diuersimodè manifestant. Præsumperunt enim quidam dicere, quod hæc propositio. Christus est filius Spiritus Sancti. non debet negari tanquam aliquid simpliciter, falsum, sed tanquam aliquid præstans occasionem errandi, tam circa æternam generationem Filij, quam etiam circa temporalem. Circa æternam enim generationem Filij præstaret occasionem errandi hoc dictum, quia sequeretur ex hoc quædam confusio relationum, vel quædam confusio istius relationis, quæ est filiatione, si Christus posset dici non solum filius Patris, sed etiam filius sui ipsius, & Spiritus Sancti.

Prima opi-
nio aliquo-
rum.

Præstaret etiam hoc dictum secundum eos, occasionem errandi circa generationem Filij temporalem, si enim Christus esset filius Spiritus Sancti secundum hominem, vel secundum generationem temporalem, videretur sequi, quod Spiritus Sanctus genuisset eum de sua substantia, quod esset erroneum dicere. Aduertendum autem, quod sic dicentes, ne præstetur occasio errandi, non solum debemus negare Christum esse filium Spiritus Sancti, sed etiam esse Filium totius Trinitatis. Ne ex hoc dicto incidamus in errorē Arrij dicentis Christum esse puram creaturam; vel in erro-

Errorē Ar-
rij & Nostri

rem Nestorij afferentis, in Christo plures A personas, vel saltem plura supposita: ex quibus dictis sequeretur Christum non esse Dei Filium naturalem, quia in eo non esset natura humana in unitate suppositi, vel personae, sed solum esset filius adoptivus, si humana natura in Christo non sit coniuncta Verbo, nisi per gratiam, sequendo praefatas opiniones: sed dicere negandum esse, Christum esse filium Spiritus Sancti, vel esse filium totius Trinitatis, & per consequens sui ipsius, solum propter vitandum errorem, vel errores, & non propter falsitatem eius quod dicitur, est contra August. 2. de Trinitate cap. 10. vt supra diximus, afferentem, quod nec Jesus Christus spiritus Sancti filius, aut etiam filius suus credi, aut intelligi potest. Est ergo huiusmodi dictum incredibile, & non intelligibile, ergo & per se falsum.

Quod autem dicunt de confusione relationum, quia tunc viderentur contrariæ relationes inesse eidem. Dici potest non esse inconueniens diuersis respectibus; non solum contrarias relationes; sed etiam communia, vel opposita absolute inesse vni, & eidem simul, unus enim, & idem Christus, qui erat simul Deus, & homo, simul erat passibilis, & mortalis ut homo, & impassibilis, & immortalis, ut Deus. Vtrum autem concedi possit simpliciter, quod Christus sit creatura, quia hoc videtur dicere Aug. 4. de Trin. c. 19. dicens, *Dei Filiū factū quippe esse creaturam, per quem facta est omnis creatura*, & Vtrum in Christo sint plura supposita, & plura individua, haec inferius patet. Nunc autem scire sufficiat hoc dictum esse secundum se falsum, Christum esse filium Spiritus Sancti, & Spiritum Sanctum esse patrem Christi, dicente Magistro in littera, Christum natum esse de Maria, & Spiritu Sancto, sed sic natum de Maria, quod ipsa est Mater eius, sic autem de Spiritu Sancto, quod Spiritus Sanctus non est pater eius.

Sed quomodo hoc dictum sit falsum, quod Christus est filius Spiritus Sancti, diuersi diuersimodè declarant; nam quidam hoc declarant ex unitate ipsius esse, quod est in Christo. Etenim quia in Christo non est (ut aiunt) nisi unum esse,

Tom. 3.
Refellitur
aliorū op-
nio, & sol-
vuntur ra-
tiones pro-
ea adducte

Tom. 3.

Secunda o.
pinio.

quod non habet Christus ab aliqua persona diuina, nisi à Patre, ideo solum est Filius Patris, non Spiritus Sancti. Sed isti videntur concludere Christum non esse filium Mariæ Virginis, quia ab ea non accepit illud esse simpliciter, quod à Patre habet.

Dicemus ergo, quod generatio est opus naturæ, vt dicit Damasc. lib. 1. cap. 8. vel generatio est via in naturam, quia ex hoc aliquis dicitur filius alicuius, prout per generationem accipit naturam similem, illi, cuius est filius. Propter quod cum in Christo sint duas generationes, & duas acceptiones naturarum, quia in eo est generatio æterna, per quam accipit a Patre naturam diuinam, non solum similem, sed eandem cum Patre: & est in eo generatio, vel nativitas temporalis, per quam accipit naturam humanam a Matre similem, & eandem cum Matre; non eandem numero, sed eandem specie, quia, licet Christus, vt est Dei Filius, accipiat naturam diuinam a Patre, eandem numero, quam habet Pater, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt plures Dij, sed unus Deus: Filius autem carnis, secundum quod huiusmodi, non habet eandem naturam numero cum suis progenitoribus, sed solum similem in specie, loquendo de similitudine largè, quæ potest esse non solum secundum qualitatem, & secundum essentiam, sed etiam secundum substantiam. Quia verò iste modus assignandi falsitatem praefati dicti, quod Christus non est filius Spiritus Sancti ex unitate ipsius esse, vel ipsius suppositi, quod est in Christo, non est conueniens, ideo est alias modus assignandi huiusmodi falsitatem, ex varijs modis filiationum.

Dicunt enim quidam, quod Christus non potest verè dici filius Spiritus Sancti, vel totius Trinitatis, quia non nisi tripliciter dicitur aliquis filius: vel per generationem, vel per adoptionem: vel per creationem, Christus autem non est filius Spiritus Sancti per creationem, quia respectu Spiritus Sancti magis dicitur factus, quam genitus. Sed hoc potest improbari, quia idem videtur importare hoc nomen genitus, & hoc nomen natus: sed, vt patet, Magister in littera simpliciter concepit

Refellitur
dicta opinio

Tertia op-
nio.

Refellitur
tertiā op-
nio.

Quarta op-
nio.

Improbatur
dicta opinio

dit Christum esse natum ex Spiritu Sancto, ergo hoc modo quo concedimus natum, videtur, quod possimus concedere genitum. Qui vero dicunt, quod Christus respectu Spiritus Sancti dicitur factus, sic etiam respectu Virginis Mariæ, potest dici factus, iuxta illud ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Improbant etiam isti alios duos modos filiationis, quod Christus non potest dici filius Spiritus Sancti, vel totius Trinitatis per creationem, quia Christus non est creatura, nec per adoptionem, quia Christus non est filius adoptivus, sed naturalis. Verum haec videntur aliquo modo dubia, cum August. vt iam dictum est, concedat, quod Christus Dei Filius factus est creatura, per quem facta est omnis creatura. Et de adoptione quare Christus non sit filius adoptivus, cum in eo fuerit omnis plenitudo gratie, loquendo etiam de gratia habituali, meritò potest dubitari.

Opin. Aegidij. His itaque omnibus excursis, dicamus, quod ubi possumus procedere ex proprijs, non debemus procedere ex communibus. Dicemus ergo, quod quantum ad praesens spectat, quinque requiruntur ad hoc, quod aliquis sit pater alicuius.

Ad hoc, vt aliquis dicatur pater alicuius quinque requiruntur. Primum vt respectu eius, in ijs quæ sunt secundum carnem, vel secundum generationem carnalem, pater habeat rationem principij actiui: quia vt Philosoph. ait in 15. de animalibus. *Hoc rationabiliter accidit, quod pater, siue masculus exhibet speciem, siue formam, & principium motus*, id est se habet ad generationem actiue, *fæmina autem, siue mater exhibet corpus, & materiam*, id est se habet ad generationem passiuè.

Secundum autem, quod ad hoc requiritur, est, vt hoc fiat seminaliter, quia in generatione pater exhibet semen, mater autem exhibet sanguinem, quia vt ait Philosophus in eodem 15. *Cum masculus, & fæmina habeant corpora distincta, operet distincta esse, quæ exhibent in generatione*, & quia masculus de necessitate exhibet semen, fœmina non de necessitate hoc exhibet, propter quod Philosophus ait in eodem 15. *manifestum esse, quod fœmella sperma ad generationem non conferat*, id est, non est necessarium, quia

A potest sine emissione proprij spermatis fœmina concipere, vt patet in eodem 15; Tamen in praefato libro de animalib. assignatur alia causa, ibidem enim dicitur, *si ex parte fœmelle esset necessarium sperma, non essent necessaria menstrua*. vult ergo ibi distincta esse, quod in generatione dat masculus, siue pater, quia de necessitate dat sperma, siue semen, & quod de necessitate dat fœmella, siue mater, quia dat de necessitate menstruum siue sanguinem. Erit ergo secundum, quod requiritur in generatione naturali. vt ipse pater se habeat seminaliter.

Tertium, quod requiritur ad esse patrem, est vt hoc fiat naturaliter, quia aliter non esset naturalis pater.

Quartum quod requiritur ad esse patrem, est, vt hoc fiat de sui substantia, propter quod Damascen. lib. 1. cap. 8. dat differentiam inter generationem, factiōnem, & creationem, quia generatio est de propria substantia generantis, factio de aliena, creatio de nullo.

Quintum, quod requiritur ad esse patrem, est, quod assimilet sibi filium in natura, quia pater, & filius de necessitate sunt eiusdem naturæ, saltem secundum speciem; De ijs autem quinque, quæ dicimus esse necessaria ad esse patrem, possemus in generatione Christi secundum carnem salvare in Spiritu Sancto. unum tantum, videlicet, quod ibi se habuit vt principium actiui.

Sed quod hoc non fuerit seminaliter, recte dicit Damasc. lib. 3.c.2. vbi loquens de superuentione Spiritus Sancti in Mariam Virginem, ait, *non seminaliter hoc factum fuisse*. Christus ergo fuit conceptus de B. Virgine per superuentioneum Spiritus Sancti non seminaliter. Fuit etiam hoc non naturaliter, quia in uno, & eodem instanti fuit formatum, & organizatum corpus Christi, & perfectum anima rationali, & coniunctu Verbo, ad quod operatio naturalis non potuisset attingere, nimis ut in uno, & eodem instanti haec omnia fierent. Tertiò hoc non fuit factum de substantia Spiritus Sancti, quia, vt dicitur in littera: in conceptione Christi Spiritus Sanctus non fuit Virgini proxime,

Diferentia inter generationem, factiōnem, & creationem.

Ex quinque requisitis ad esse patrem, unum tantum cōpetit Spiritui Sancto, respectu generationis Christi.

mine, quia de substantia Spiritus Sancti A
hoc factum non fuit. Quartò, quia ex il-
la conceptione temporali, & secundùm
carnem Spiritus Sanctus non assimilat si-
bi Christum in natura, quia Christus Dei
Filius ex tali generatione factus est ho-
mo, & assimilatus est Virgini Mariae in
natura humana, vt posset secundùm hoc
dici mater eius; non autem in hoc assimi-
latus est Spiritui Sancto in natura, vt pos-
set dici pater eius. Cum ergo ad con-
struendum, omnia requirantur, ad de-
struendum verò solùm vnum sufficiat

*Ad cōstruē-
dum plura
requiriuntur,
ad destruē-
dum sufficit
vnum.*

de quinque, quæ assignauimus ad es-
se patrem necessaria, solùm vnum potest
competere Spiritui Sancto, alia autem
quatuor sunt neganda ab ipso, non solùm
simpliciter, ad quod sufficeret vnum so-
lum, sed etiam multipliciter, quia qua-
drupliciter asserere possumus Christum
sic esse conceptum, vel natum de Spiritu
Sancto, idcirco Spiritus Sanctus non est
pater eius.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum argumentum dicendum C
non concludere nisi de prima conditione,
quæ requiritur ad esse patrem, videlicet,
quòd respectu eius se habeat vt princi-
pium actiuū, verum ista sola conditio non
sufficit, sed necessariæ sunt sibi aliæ qua-
tuor conditiones iam præhabitæ, quarum
nulla, vt patuit, competit Spiritui Sancto.
Quod si volumus istam primam conditio-
nem transferre ad diuinam genera-
tionem, non dicemus, quòd ibi pater se
habeat vt principiū actiuū, sed vt prin-
cipium authoritatuum, vel productiuū:
nam in productionibus diuinis possumus D
concedere rationem principalitatis, &
rationem principij; Dicimus enim Patrem

*Ad esse pa-
tre non suf-
ficit vna cō-
ditio: sed re-
quiruntur
alia qua-
tuor, quæ
Spiritui S.
non conve-
niuntur, di-
cendum est
ad 2. & 3.*

esse principium Filij, & dicimus Patrem,
& Filium esse principium Spiritus Sancti,
& concedimus Spiritum Sanctum proce-
dere principaliter a Patre, sed agere, effi-
cere, causare, non propriè ponimus in
diuinis ad intra, quia omnia hæc propriè
accepta sunt in aliud, secundùm quod
aliud; quicquid enim propriè agit, efficit,
vel causat huiusmodi est in aliud, secun-
dum quod aliud, in diuinis tamen, licet
productus sit aliis à producente, non

*Agere, effi-
cere, causa-
re nō pro-
priè ponun-
tur in diuinis,
quia asse-
gnamus in aliud, sīm
quod aliud, sed
si ali-
quando re-
periatur, sā
eos dicitis
vocabulis
vños suisse,
illorum di-
cta sunt p̄e
explicada,
non autem
simpliciter
admittenda.*

tamen aliud. Nā, vt dicitur in de sex prin-
cipijs, *omnis actio in motu fundatur*: vbi
ergo non est motus, nec mutatio, ibi
propriè non inuenitur actio. Et si ibi di-
cantur aliqua per modum actionis, & poti-
ssimè, si illa aliqua denotant distinctio-
nem personarum, sicut diximus, quòd
Pater generat, & est ingenitus, Filius ge-
neratur, & Spiritus Sanctus procedit, omnia talia dicta per modum actionis,
vel passionis, semper implicant relatio-
nes, per quas est distinctio personarum,
iuxta illud Damasc. lib. 1. cap. 2. *In diui-
nis omnia sunt vnum, preter ingenera-
tionem, generationem, & processionem*. Non
est enim in diuinis distinctio, nisi per re-
lations, & non sunt in diuinis nisi duo
prædicamenta, substantia, & relatio, vt
vult Boetius in lib. suo de Trinit. quæ duo
prædicamenta hunc modū tenent, vt vult
idem Boetius, quòd *substantia continet
unitatem, relatio multiplicat Trinitatem*.
Generat ergo, vel producit Pater Filium,
sed non propriè agit, nec facit, nec cau-
sat Filium, & si inueniatur, quòd Pater
est causa Filij, loquendo de Filio, vt est
Deus, tales loquitiones non sunt simpli-
citer admittendæ, sed exponendæ.

Per iam dicta patet solutio etiam
ad secundum, quia nil aliud concludit
argumentum, nisi quòd in generatione
temporali, id quod fuit ibi actionis, egit,
vel fecit Spiritus Sanctus, sed hoc non
sufficit ad esse Patrem, vt est per habita-
manifestum.

Ad tertium dicendum, quòd Christus
conceptus est de Spiritu Sancto, sed non
seminaliter, nec etiam de substantia Spi-
ritus Sancti, nec ex illa conceptione ac-
cepit naturam diuinam à Spiritu Sancto,
sed naturam humanam, in qua non con-
uenit cum Spiritu Sancto, vt ex hoc pos-
sit dici filius Spiritus Sancti.

Ad quartum dicendum, quòd verba
Augustini habent suam expositionem, vt
infra patebit, cùm disputabitur. Vtrum
hæc sit simpliciter admittenda, Christus
est creatura; Vel possumus dicere, quòd
Christus, etiam secundùm quod homo,
dicit duo, p̄imirū naturam humanam, &
suppositum Verbi in tali natura. Natu-
ra enim humana, secundum se non est ho-
mo, sed suppositum in tali natura est il-
lud,

Iud, quod congrue dicitur homo. Non enim est idem querere, quid significat creatura di hoc nomen homo, & pro quo supponit, si non potest simpliciter: quia hoc nomen homo principaliter si determinat naturam humanam, sicut & ceterum. id est. ut si sancti aliquando appellaverunt ipsum eis supponit pro supposito habente taleni creataram, naturam. Et si dubium est in alijs, non dicendum est dubium, prout spectat ad presentem questionem, vbi queritur de filiatione. Nam filiatio non propriè competit natura, sed supposito. Natura enim humana non dicitur filia alicuius, sed suppositum in tali natura potest esse illud, cui competit filiatio. Verum, licet in Christo sit natura creata, ut humanitas; & increata, ut Deitas: Tamen non est ibi nisi unum suppositum increatum, propter quod propriè creatura dici non potest. Et cum dictum sit, quod filiatio propriè competit supposito, Christus per creationem non potest dici filius totius Trinitatis, nec sui ipsius, nec Spiritus Sancti.

DISTINCTIONIS IV.

Pars Secunda Principalis.

De Christo Domino, prout comparatur ad B. Virginem.

QVAESTIO PRIMA.



OSTEA queruntur de secundo principali, prout Christus secundum incarnationem comparatur ad Mariam Virginem, vel ad matrem ipsam concipientem. Circa quod queruntur duo. Primo. Vtrum B. Virgo possit dici mater hominis Iesu Christi. Secundo ex hoc quod dicitur mater illius hominis, Vtrum possit congrue dici mater Dei.

A

ARTIC. I.

Vtrum B. Virgo possit dici Mater hominis Iesu Christi. Conclusio est affirmativa.

D.Tho.3.p.q.35.art.3.Caiet.& Medina ibid. Lychet. in 3.d.4 q.1. D.Bonau,in 3.d.4.art.2.q.1.Dur. q.2.Baccon.q.1. Biel.q.vnica. Argent.d.4.q.1.art.3.A lens.3 p. q.10.memb.5.



D primum sic proceditur. Videtur quod B. Virgo non possit dici mater illius hominis congrue, & competenter. Quia in conceptione Christi B.

Virgo ministrauit materiam tantum, quia totam illam actionem principalem fecit Spiritus Sanctus: sed propter materiam tantum non potest aliquid dici mater alicuius, nam licet aliqua arbor prebeat aliquam materiam, de qua fit scandens, non tamen propter hoc illa arbor potest dici mater illius scandi: ergo &c.

Præterea. Ad matrem spectat preparare materiam, de qua concepitur filius. sed materia conceptionis Christi sumpta est à reliqua carne Virginis, operatione Spiritus Sancti: ergo Virgo non debet dici mater hominis Christi.

Præterea. Sicut caro Christi operatione Spiritus Sancti formata est de materia sumpta à B. Virginem, ita Eua operatione diuina formata est de materia sumpta ab Adam: sed Adam ex hoc non potest dici nec pater, nec mater eius: paratione B. Virgo non potest dici mater hominis Christi.

Præterea. Multò plus contulit ad conceptionem Christi Spiritus Sanctus, quam B. Virgo, quia agens in omni actione est præstantior, quam materia; sed Spiritus Sanctus, ut habitum est, non potest dici pater hominis Christi: ergo multò minus B. Virgo poterit dici eius Mater.

Præterea. Filiatio, ut habitum est, respicit ipsum suppositum: sed in Christo non est nisi unum suppositum, quod est

æter-

æternum, & illud suppositum non habuit A esse à B. Virgine, cùm fuerit æternaliter ante ipsam: ergo nullo modo Christus potest dici filius Virginis.

Præterea. In Christo non est nisi vnum esse, & illud esse non habet Christus à Virgine Beata, cùm sit quid æternum: ergo &c.

I N C O N T R A R I V M est, quia in multis locis B. Virgo dicitur mater illius hominis, scilicet Iesu Christi, iuxta illud Matth. 1. *Cùm esset desponsata Mater eius*, idest illius hominis Iesu Christi. Item Ioan. cap. 19. dicitur: *Stabat autem iuxta Crucem Mater eius.*

Matth. c. 1.

Io. c. 19.

R E S O L V T I O .

B. Virgo fuit vera mater Christi hominis, quia dedit ei quæcumque dant aliae verae matres suis filiis: nam preparavit materiam in utero ad eius corpus formandum, locum in matrice ad conseruandum, purissimum sanguinem in utero, & lac suauissimum extra uterum, ad ipsum nutriendum.

R E S P O N D E O dicendum, quòd in hac materia fortè posset facere dubium, quia aliqua faciunt aliæ matres in conceptione filiorum suorum, quæ non fecit Virgo in conceptione Christi: sicut est emissio spermatis, delectatio secundum carnem, quæ multum videtur facere ad hoc, quòd mulier grauidetur; & ideo videmus, mulieres omnes, quæ nimis vtuntur coitu, & non delectantur in coitu, raro concipere, vel grauidari: sed omnia ista, præterquamquod in tam sancta muliere sunt indecentia, non sunt rursus ad propositum. Possimus enim verè concedere, Mariam Virginem in conceptione Christi fecisse omnia illa, quæ de necessitate faciunt omnes veræ matres, propter quod si arguatur de emissione proprij seminis, dicemus, quòd, vt patuit per Philos. 15. de animalib. mulier si ne tali emissione potest verè concipere, & esse vera mater, etiam sine delectatione carnali: Inuentum est enim aliquas mulieres ita concepisse, & esse verè matres. Videndum est ergo ad plenam declarationem questionis propositæ, quid de

Mater potest verè concipere ab eo que delectatione carnali.

P A R S II.

necessitate faciunt aliæ mulieres verè matres in conceptione filiorum, & si possumus omnia illa saluare in B. Virgine, quantum ad conceptionem Christi hominis, negare non poterimus ipsam esse veram Matrem illius hominis.

Verum est autem, quòd Philosoph. in 15. & in pluribus locis de Animal. matri attribuit solùm præbere materiam, & esse principium passiuum; patri autem attribuit inducere formam, & esse principium actiuum. Quòd si in hoc vellemus sistere, soluta esset quæstio, quia Spiritus Sanctus ibi fecit quicquid est actionis, licet ex hoc non debeat dici pater Christi, quia hoc non sufficit ad esse patrem: si ergo ex B. Virgine sumptus est totus ille sanctissimus sanguis, de quo tanquam de propria materia passiuè operatione Spiritus Sancti actiuè, formatum est corpus Christi, licet ex parte Spiritus Sancti hoc non sufficiat, vt sit pater, nihilominus ex parte Virginis hoc sufficit, vt sit mater Christi, dicimus enim cum Magistro in littera, quòd *Christus sic natus est de Spiritu Sancto, quòd non est pater eius, & sic natus est de Maria Virgine quòd est mater eius.*

Verum, quia sic soluere quæstionem propositam est nimis superficialiter transfire quantum ad declarationem veritatis ipsius, ideo ingrediemur profundiùs, & dicemus, quòd quando Philosophus ait, quòd quicquid est ibi actionis facit pater, & quòd principium actiuum est solus pater, intelligenda sunt verba Philosophi quantum ad actionem principalem, quæ est organizare, & formare organa, & membra foetus; sed quantum ad actionem præcedentem hanc actionem principalem, quæ est materiam præparare, & facere eam aptam, & conuenientem, vt idem fiat, & formetur foetus, hanc actionem facit mater, per cuius virtutem digestiuam digeritur, & purificatur omnis sanguis, vt sit conueniens materia prolixi; & sicut est dare actionem præcedentem, hanc actionem principalem, quæ est formare, & organizare foetum, quæ actio præcedens est materiam præparare, sic etiam est dare, non solum actionem, sed etiam actiones sequentes, illam actionem principalem, quæ est formare, & organizare foetum, quæ actio præcedens

dens est materiam præparare; sic etiam est dare non solum actionem, sed etiam actiones sequentes illam actionem principalem, quæ est formare, & organizare fœtum, quæ actiones sequentes sunt saluare, & nutritre fœtum. Patri ergo dabis A Quæ actio copet patri, & quæ marci in productione proli- m us vnam actionem principalem, quæ est formare, & organizare fœtum, sed matris dabimus tres, vel quatuor alias actiones, vt vna actio sit præcedens organizationem, & hæc est præparare materiam, vel purificare sanguinem, de quo fit proles. Duæ autem, vel tres aliæ actiones sunt sequentes hanc actionem principalem, quarum vna est saluare fœtum, idest præbere conuenientem locum, vt saluetur fœtus, & hoc facit mater, quia eius est præbere matricem, qui est conueniens locus ad saluandum fœtum, quia extra matricem proles ante suam completionem, quam debet habere in utero naturaliter, & congruè saluari non potest.

Dubitatio.

Sed dices. Nunquid hoc est agere, præbere conuenientem, & sufficientem locum? Dicemus, quod sic, quia rem in suo loco saluari, & conseruari, sine aliqua actione, vel influentia loci in locatum, esse non potest. Adducemus autem ad hoc verba Porphyrii, quod *patria, siue locus est principium generationis, quemadmodum & mater, siue quemadmodum & pater.* cum autem pater sit principium actuum in generatione, patria, siue locus aliquid participabit de huiusmodi principio actuo, quia habet agere, & influere in filium locatum, & conseruare ipsum.

Assignata vna actione sequente principalem actionem spectantem ad patrem, quæ principalis actio est organizare, actio autem sequens hanc actionem est conuenientem locum præparare, & fœtum cōseruare, & saluare: possumus rursus assignare aliam actionem sequentem, quæ est sanguinem emittere, & fœtum nutritre. Et hæc actio est duplex, sicut dupliciter nutritur puer in utero, & extra uterum, in utero autem fit emissio sanguinis ad matricem, ubi est puer, dum est in utero, & ibi ex huiusmodi sanguine nutritur puer.

Puer quomodo nutritur in utero, & extra uterum. Cum verò est extra uterum, fit Quomodo fit lac, & quid sit. emissio huius sanguinis menstrui ad mam-

illas, & ibi dealbatur, & fit lac: nihil enim aliud videtur esse lac, nisi sanguis menstruus dealbatus in mammillis. Licet enim masculo, siue patri demus actionem principalem, idest organizare, Matri autem dabis tres actiones sub principali, vna est præcedens organizationem,

Patri in generatione triplis tribuitur vna actio, matris autem tres actiones tribuntur: vna præcedens organizationem, & duas sequentes

quæ est materiam præparare, idest sanguinem digerere, & purificare, & aliæ duæ possunt esse sequentes organizationem, idest sanguinem emittere ad matricem, vt ibi nutriatur puer in utero, & sanguinem emittere ad mammillas, vt ibi dealbetur, & fiat lac, vt inde nutritur puer extra uterum, emissio autem sanguinis menstrui ad mammillas, certum est, quod sequitur organizationem fœtus, sed emissio sanguinis ad matricem, potest præcedere, & sequi organizationem, quia non solum nutritur fœtus, cum viuit vita animalis, vel vita hominis, & quando iam est organizatus, sed etiam nutritur ante huiusmodi organizationem, quando viuit vita plantæ: nam in ipsis plantis est attractio alicuius humoris, unde nutritur, & viuunt. Ex hoc autem potest apparere illa consequentia Philosophi de foemella in prioribus, *babet lac, ergo peperit,* quia emissio sanguinis menstrui ad mammillas, unde fit lac, est nutrimentum pueri, quia forte aliquas guttas lactis potest habere foemina, antequam pariat, vel potest habere foemina, quæ nunquam peperit.

Sed dices. Nōne ista emissio sanguinis obicitur in foemina virtute seminis virilis? Ad solutio quod dici potest, quod licet ista emissio sanguinis iuuetur, fortificetur, & etiam purificetur ex attractione facta virtute virilis feminis, attamen oportet in ipsa foemina ponere aliquam huiusmodi virtutem emissuam, cum, exeunte fœtu de utero, fiat emissio sanguinis menstrui ad mammillas. Fuit ergo Virgo Maria Mater hominis Christi, & possumus saluare etiam ea omnia, quæ de necessitate facit vera mater, videlicet materiam præparare Christo homini pueru, dum erat in utero, conuenientem locum tribuere, & ipsum ut hominem nutritre in utero, suo purissimo sanguine, & extra uterum suo purissimo lacte; quod erat sanguis purus in eius mammillis dealbatus.

Quæ de necessitate faciunt alii matres, verè saluantur in B. Virg. respectu prolis.

Verum

Dubitatio. Verū si ita dicimus, quòd credimus benè dictū, ulterius insurget de ipso Christo quæstio specialis. Nam cum corpus Christi fuerit formatum in instanti, quia secundum Sanctorum sententiam, statim post assensum Virginis, cum dixit: *Ecce Ancilla &c.* sicut in utero Virginis Verbum caro, perfectus Deus, & perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. quomodo ergo naturaliter potuit habere Virgo tantum sanguinem, & tantam materiam præparatam, quòd inde formaretur subito totum corpus humanum? non enim videtur rationabile. Hæc tamē difficultas nulla est, si considerentur verba Philosophi in 9. de animal. volentis, quòd quantitas pueri organizati, vel

Solutio. statim cum est organizatus, sit quantitas pueri statim organi vnius magnæ formicæ. Magister etiam in 9. historijs ait, quòd statim post verba Virginis, *sicut mibi secundum verbū tuū, conceptus est Christus de Virgine perfectus homo in anima, & carne,* ita tamen quòd

Magist. hist. scolast. lineamenta membrorum visibus discerni non possent. In hanc etiam sententiam

Magist. sc̄r. declinavit Magister supra dist. 3. Philos. tamen in 9. de animalib. vult, quòd puer masculus in quadragesima die sit organizatus, & si pariat foemina abortium, & cadat rale abortium iuper aquam frigidam, quia frigi est conseruare (Nam si cadat tale abortium super terram, vel super aliquam rem duram dissolueretur propter eius teneritudinem) sed si cadat super aquam frigidam poterit conseruari. Inuenitur enim tunc foetus secundum Philos. in 9. inuolutus tela, quæ si aperiatur, inuenietur quantitas foetus secundum quantitatem magnæ formicæ, habens omnia membra distincta.

Quod ergo posset etiam naturaliter in Virgine, tempore conceptionis Christi, inueniri tanta quantitas puri sanguinis, vt posset inde formari corpus secundum quantitatem vnius magnæ formicæ, nullus mirari debet; Fuit ergo corpus Christi formatum, & organizatum supernaturaliter, quia natura non agit instanti, sed quantum ad id quod exhibet mater, & quod spectat ad matrem exhibere, vel facere, totum potuit facere B. Virgo, vt hoc modo possit dici vera Mater hominis Christi.

A Dubitant autem hic scripta communia, & dicunt, Quare August. superaddit dicto Philosophi quinque dies, ponens puerum masculum formari, & organizarri in 45. diebus, de quibus facti sunt versus, dicentes:

Dubitatio communis.

*Sex in lacte dies, ter junt in sanguine—
terni.*

*Bis seni carnem, ter seni membra figu-
rant.*

Sed hæc difficultas de leui tollitur, possumus enim dicere naturalia non habere tempus punctuale. Philosophus ergo loquitur de organizatione pueri communiter facta. Augustinus vero loquitur de huiusmodi organizatione, quando ibi plus apponitur de tempore: communiter enim puer masculus formatur in 40. diebus, & quando ibi plus apponitur de tempore, non procedit ultra 45. dies; nam organizatio puellæ, vel foemelle longè plus requirit de tempore, quia secundum Philosophum requirit duplum de 45. vi- delicit 90.

Solutio.

Concilium.
t. D. P.
Aug. & A.
rist. de tem-
pore orga-
nizationis
factus.

**Organiza-
tio foemelle
quantum te-
poris requi-
rat.**

C R E S P. A D A R G V M.

Ad primum dicendum, quòd Beata Virgo non solum præbuit materiam, de qua formatum est corpus Christi, sed, vt patet per habita, fecit totum illud, quod facere debuit vera mater, & quod dicitur de arbore, patet non esse simile, quod inducitur pro simili; nam forma scandi non est forma naturalis, sed artificialis, & arbor non præparatur naturaliter, vt fiat inde scandum, sed artificialiter: sanguis autem foemini est naturalis materia, vt fiat inde puer, si autem Spiritus Sanctus supernaturaliter organizauit corpus Christi, quia fecit hoc subito in instanti, propter hoc non tollitur, quin Beata Virgo, quantum est de se, fecerit totum, quod debet facere vera mater, vt conuenienter, & congruenter vera mater hominis Christi dici debeat.

**Ad mater-
nitatem nō
sufficit ex-
hibere ma-
teriam, sed
plura alia
requiriuntur,
vt patet in
corp. queat,
& exempli
ad quæ nō
est ad pro-
positū, quia
arbor non
præparatur
naturaliter:
ad scandi-
num: sed
artificiali-
ter.**

D

Ad secundum dicendum, quòd in matre ponimus virtutem emissuam, & in foemine virtutem attractuam, & attrahere magis sonat in actionem, quam emittere, ideo matri damus virtutem emissuam,

nam,

*B. Virgi
ni non tril-
batur vir-
tus princi-
paliter acti-
vitatis in prepa-
ratione ma-
teria. tame-
tribuitur
virtus sub-
stancialis.*

nam, femini autem attractiuam, quia si A non deimus matri virtutem principaliter attractiuam, attribuere possumus ei subprincipaliter, vel subactiuam quantum ad preparationem, vel emissionem materiae. Si ergo virtute Spiritus Sancti facta est attractio sanguinis Virginis, quia fecit totum, quod potest facere semen virile, & amplius, non propter hoc tollitur quin B. Virgo fecerit totum, quod debet facere vera mater.

Non est simile, quod adducitur pro simili: quia costa Adam non erat materia naturaliter ordinata ad talem formationem, & non fuit hoc factum secundum rationem naturalem, sed secundum obedientiam, prout de truncu potest fieri vitulus, sed sanguis foeminae est materia naturaliter ordinata, vt fiat inde foetus, & ideo non est simile, quod inducitur pro simili.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod praebuit Adam in formatione Euæ, non erat materia naturaliter ordinata ad talem formationem, & non fuit hoc factum secundum rationem naturalem, sed secundum obedientiam, prout de truncu potest fieri vitulus, sed sanguis foeminae est materia naturaliter ordinata, vt fiat inde foetus, & ideo non est simile, quod inducitur pro simili.

*Plus fecit
Spiritus S.
in concep-
tione cor-
poris Christi,
ab solute
loquenda;
sed non re-
specu coru-
que ad ma-
ternitatem
requiruntur.*

Ad quartum dicendum, quod licet Spiritus Sanctus plus fecerit ad conceptionem corporis Christi, quam Virgo Maria, tamen, ut supra patuit, Spiritus Sanctus non habuit omnes illas conditiones, quae requiruntur ad esse patrem.

*Christus ve-
rbi, fuit
ante B. Vir-
gine ve ho-
mo, fuit a
B. Virg., vt
a vera mat-
re.*

Ad quintum dicendum, quod licet suppositum Verbi, vel persona Verbi fuerit, antequam esset B. Virgo Maria eius Mater, tamen ad hoc quod illud suppositum, vel illa persona esset homo, & haberet in se veram naturam humanam, fecit Beata Virgo quicquid debet facere vera mater, & ideo debet dici illius hominis vera Mater.

*Licit Chris-
tus habeat
vnum esse
personale:
habet tamen
duas quoq[ue]
naturas, di-
uinam, quam
aceperit a
Patre & hu-
manam, quam
ace-
perit Matre*

Ad sextum dicendum, quod si Christus habuit quidem vnum esse suppositi, & vnum esse personale tantum, habuit tamen, & habet in se duas naturas: diuinam, secundum D quam est genitus a Deo Patre aeternaliter, & humanam, secundum quam est genitus a Virgine Matre temporaliter, ut vere Beata Virgo possit dici Mater eius, a qua accepit humanam naturam tanquam a Mater.

*Vtrum B. Virgo congrue dici possit
Mater Dei. Conclusio est
affirmativa.*

D.Thom. 3.p. q.39. art.4. Caiet. Medina. Silvius & ibidem omnes supra citati. Suarez ad 3.p. tom.2. disput. 12. pertotam. Ricchar. in 3.d.4.art.2.q.2.D. Bonau. in 3.d.4.art.3.q.3.

HC V N D O queritur. Vtrum B. Virgo ex hoc, quod dicitur mater illius hominis, possit congrue dici Mater Dei.

Et videtur, quod non, quia non debet dici mater illius hominis, nisi prout ille homo accepit ab ea aliquod esse, vel aliquam naturam: sed non accepit a matre esse diuinum, siue deitatem, sed solum naturam humanam, siue humanitatem: ergo quantumcunque possit dici mater illius hominis, non debet dici Mater Dei.

Præterea. In Deo sunt idem Deitas, & Deus: sed Beata Virgo non potest dici mater deitatis: ergo non potest dici Mater Dei.

Præterea. Hoc nomen Deus, est commune tribus personis, nam omnes tres personæ non sunt nisi unus Deus: si ergo posset dici conuenienter Mater Dei, posset dici mater trium personarum, quod est inconueniens.

Præterea. Sicut naturam assumptam, produxit Virgo mater generando, ita producit illam naturam Deus Trinitas creando. Sed Deus Trinitas propter hoc non potest dici Pater Dei creatione: ergo Virgo mater propter huiusmodi naturam assumptam ex ea, non poterit dici Mater Dei generatione.

Præterea. Magis debet concedi id, quod est per se, quam id, quod est per accidentem: sed in hoc nomine, Christus, importatur natura humana, quam Virgo generando per se, producit: Damas. vero lib. 3. cap. 2. ait de Virgine. *Christotocon, id est Christi Genitricem non dicimus Virginem;* Si ergo Virgo Christi hominis non dicitur mater, multò minus dicetur Mater Dei.

D.Damas.
lib. 3. c. 2.

IN CONTRARIUM est. Nam cùm illa vno fuerit tanta, quòd Deum fecit hominem, & hominem Deum, si Virgo fuit mater illius hominis, cùm ille homo sit etiam Deus, consequens est, quòd sit quoque Mater Dei.

Præterea. propter vnonem illam est in Christo communicatio idiomatum, vt quæ erant homini attribuantur Deo, & è conuersò, vti probat Damasc. lib. 3. c. 4. quia dicimus Deum passum, crucifixum, &c. Si ergo propter communicationem idiomatum possumus verè dicere, Deum fuisse passum, possumus etiam verè dicere, Deum fuisse de Virgine natum, & Virginem esse Matrem Dei.

R E S O L V T I O .

Maria Virgo verè est Mater Dei, quia in Christo est tantum unum suppositum in utraque natura, & filiatio, maternitas, & paternitas non conueniunt naturæ, sed supposito, quòd cùm sit diuinum & Deus, consequenter dicitur Mater Dei: & quia ille homo, cuius est mater, est Deus, ratione illius, verè dicitur Mater Dei.

R E S P O N D E O dicendum, quòd in hac quæstione possumus assignare duo dubia, vel duas difficultates. Vnam ex parte diuinorum personarum, siue ex parte diuinæ personæ, & aliam ex parte humanitatis, vel ex parte humanæ naturæ. Prima autem difficultas sic patet. Nam si omnes tres personæ diuinæ non habent nisi vnam naturam diuinam, & non sunt nisi vnu Deus, quia licet Pater sit Deus, Filius sit Deus, Spiritus Sanctus Deus; Pater tamen, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres Dij, sed vnu Deus, iuxta illud Deuteronom. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus, vnu est.* Si ergo omnes tres personæ non sunt nisi vnu Deus, videatur, si concedimus Virginem esse Matrem Dei, quòd cogamur concedere ipsam quoque esse matrē Patris, & Spiritus Sancti.

Secundum dubium, vel secunda difficultas potest contingere ex parte ipsius naturæ humanæ. Nam ideo illa Virgo est mater illius hominis, quia accepit ex ea, vel in ea humanitatem, vel naturam humanam. Si ergo dicamus Virginem esse

Duas diffi-
cultates
principales
involvista
quæstio.

Deuteron.
cap. 6.

P A R S II.

A Matrem Dei sicut non est mater hominis, nisi quia ille homo accepit ex ea humanitatem, ita si esset Mater Dei, cogeremur concedere, quòd accepisset ab ea naturam diuinam, siue Deitatem, quod non solum dicere, sed cogitare, est absurdum.

Propter primum dubium, vel primam difficultatē sciendum, quòd licet tres personæ quantum ad deitatem non differant in re habita, quia habent vnam, & eadē essentiam, & deitatem: differunt tamen in modo habendi, quia Pater illam deitatem habet à nullo alio. Ideo Dionys. 2. de diuin. nomin. ait de Patre, quòd est fontana deitatis, quia sicut à fonte deriuantur omnes riui, ita à Patre tanquam à fontana deitatis deriuantur aliæ diuinæ personæ, propter quod ibidem ait, *Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deigenæ*, id est quædā deriuationes deitatis, & quedam pullulationes diuinæ naturæ, & quidam flores. Pater ergo est Deus non habens deitatē ab alio, & non pullulans ab alio, Filius autem est Deus habens deitatem à Patre, & pullulatus ab eo, Spiritus Sanctus est Deus habens deitatem à Patre, & Filio, & pullulatus (vt loquamur prout loquitur Dionys.) ab eis, siue deriuatus ab ipsis, vel productus ab illis, non propter aliam, & aliam deitatem, sed propter alium, & alium modum habendi deitatem illam. Omnes autē tres personæ, vel quælibet triū personarū retinet suam propriam proprietatem, vt Pater ita sit Pater, quòd non sit Filius, & Filius sit solum Filius, & nō Pater, & Spiritus Sanctus sit ita donū, vel ita amor, & nexus Patris, & Filij, quòd non sit nec Pater, nec Filius. Si ergo in illa Trinitate, quantumcunque nō sit ibi nisi vna, & eadē deitas, tamen propter alium, & alium modum habendi eam, sic solum competit vni personæ, quòd fit Filius, vt non cōpetat nec Patri, nec Spiritui Sācto, sicut propter diuinam naturam, quam habent omnes tres, non est ibi nisi vnu Filius; multo minus propter naturam humanam, nec Pater, vel Spiritus Sanctus poterit dici Virginis, vel hominis Filius,

Propter secundam difficultatē, & secundum dubiū, sciendū, quòd aliud est loqui de veritate loquutionis, vt sumitur simpli- citer, & aliud est loqui de ea vt sumitur, cū quædā modo & ordine, propriè, & tertio possu-

Notandum
pro solutio-
ne prima
difficultati.

Pater toca-
tur à Dio,
Fontana
Deitatis

Notandum pro
solutione se-
cunda diffi-
cultatis.
Veritas lo-
quutionis
potest atque
di triplici-
ter.

possimus loqui de veritate loquutionis, A vt sumitur, non solum cum modo, & ordine propriè, sed etiam cum ratione, & causa propria: si ergo loquamur de veritate loquutionis simpliciter sumpta, sic vtrumque verificatur de matre, vtrumque de Patre, vtrumque de Filio. Nam Virgo est Mater hominis, & Dei, & Dei, & hominis. Nam si ille idem, qui est homo, est Deus: non potest esse Virgo mater illius hominis, nisi sit Mater Dei, & è conuerso: si enim ille idem, qui est Deus, est etiam homo, non potest esse Virgo Mater Dei, nisi sit mater illius hominis, qui est Deus; & sic, simpliciter loquendo, ambo præfata dicta verificantur de matre, quòd est Mater hominis & Dei, sic ambo verificantur de Patre, qui est Pater hominis, & Dei. Nam si ille, cuius est pater Deus, sit homo, non potest esse pater Dei, nisi sit pater illius hominis, & è conuerso, cum ille homo sit Deus, non potest esse pater illius hominis, nisi sit pater Dei, & sicut vtrumque verificatur de matre, quod est Mater Dei, & hominis, & è conuerso, vt vtrumque de patre, qui est Pater Dei, & hominis, sic vtrumque verificatur de filio, quod est Filius Dei, & hominis, & è conuerso. sic ergo loquendum est de præfatis loquutionibus, vt sumuntur simpliciter.

Sed vt sumuntur cum modo, & ordine proposito, tunc respectu matris, iste modus loquendi, & iste ordo est magis prius: Virgo est Mater hominis, & Dei: & respectu patris est magis proprius modus, & ordo loquutionis conuersus, Deus Pater est Pater Dei, & hominis. Si verò loquamur de Filio, erit distinctio loquendum, vt dicamus, quòd Christus, vt est Deus, est Dei Filius: vt est homo, est filius hominis, id est Virginis: ergo simpliciter loquendo, ambo sunt concedenda de Matre, ambo de Patre, ambo de Filio. Sed si volumus illa duo accipere secundum modum, & ordinem proprium, sunt concedenda modo, & ordine, quo diximus.

Sic etiam possimus dicere de tertio modo loquendi, videlicet si loquamur de veritate loquutionis, non simpliciter, nec solum cum ordine, eo modo proprio; sed cum reduplicatione, ratione, & causa, sic cuiuslibet dabimus, quod

Prima persona diuina cum sit Pater illius personæ, quæ est homo, est etiam pater illius hominis.

Ratione ordinis, & modo loquendi debemus dicitur B. Virginem esse Mater hominis, & Dei: & Patrem acerbum, esse Filius Dei, & hominis.

Aegid. super iij. Sent.

suum est, & vt tuum est.

Dicemus ergo de Patre, quòd est Pater Dei, & hominis, sed cum reduplicatio dicemus ipsum esse Patrem Dei, quia si vellemus alterum istorum reduplicare, reduplicabimus Deum, & non hominem.

Ratione causæ debe mus loqui cum reduplicatione eius, in quo est assimila- tio.

Est enim Pater Dei, & hominis, quia est Pater Dei, qui est homo, sic etiam Deus est ratio, quare sit pater hominis. Nam quia eius Filius, qui est verus Deus, factus est homo; ideo ratio quare est Pater hominis, est, quia est Pater Dei; sic etiā est causa, nam causa, quare est Pater Dei, & hominis est, quia est Pater Dei, ideo est pater illius hominis. De Matre autem dicemus è conuerso. Nam non loquendo de veritate loquutionis simpliciter sumptę, sed cum reduplicatione, ratione, & causa, sicut ex parte Patris reduplicatur Deus, & non homo, & ratio, & causa paternitatis sumebatur ex parte naturę diuinę, in qua assimilatur, & non ex parte naturę humanę, in qua non assimilatur sibi: sic ex parte matris erit è conuerso, quia ibi reduplicabitur homo, & non Deus, & ratio, & causa sumetur ex parte humanitatis, in qua assimilatur Matri, non ex parte Deitatis, in qua non assimilatur ei. Erit ergo Virgo Mater hominis, & Dei, quia est mater hominis, & ratio, & causa, quare est Mater Dei, sumitur ex eo, quod est mater illius hominis, qui est etiam Deus.

Duarū difficultatum supradicta- rū solutio.

D Postquam illarum duarum difficultatum assignauimus cuiilibet suam rationem, & causam, volumus nunc vtrumque soluere per vnam causam, & vnum fundamentum. dicemus enim quòd licet in Christo sit pluralitas naturarum, non tamen est in eo pluralitas personarum, sunt enim in Christo due naturę, diuinę scilicet, & humanę, sed non est in eo nisi vna persona tantum in utraque natura. Cum ergo filiatio, paternitas, & maternitas debeat attribui supposito, vel persone, non naturę: quia propriè loquendo, natura non dicitur filia, vel pater, vel mater alicuius, sed persone, secundum aliquam naturam, vel secundum naturas, possunt hęc attribui, & inde est, quòd commendatur Petrus Lombardus Magis- ter Sent quando dixit, quòd vna quedam

Magist. sec. commendatur.

summa res est, videlicet diuina essentia, A vel natura, quæ nec gignit, vt secundum proprietatem loquutionis possit dici Pater, nec gignitur, vt secundum huiusmodi proprietatem possit dici Filius; nec procedit, vt secundum proprietatem dicatur relatiuè ad Patrem, & ad Filium; sunt enim hæ loquitiones veræ, quod diuina essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sunt enim veræ propter vnius, & eiusdem rei identitatē, non propter loquutionis proprietatem; nā propter huiusmodi proprietatem, essentia diuina non est Pater, quia non gignit, nec est Filius, quia non gignitur, nec est Spiritus Sanctus, quia nō procedit. Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus: quia in Christo est vna persona in duabus naturis, & illa persona, secundum naturam diuinam, ita est Filius Patris, quod filiatio nō cōpetit matri, nec Spiritui Sancto, sed sibi soli. B. Virgo, quæ ideo est Mater Dei, quia est mater illius hominis, qui ratione diuinæ naturæ est Dei Filius, & verus Deus: cùm verò secundum diuinam naturam filiatio non cōpetat Patri, nec Spiritui Sancto: Virgo sic erit Mater Dei, idest Filiij Dei, quod non erit mater, nec Patris, nec Spiritus Sancti. Potuissent enim incarnari, vel hūmanari Pater, & Spiritus Sanctus, quod si fecissent hoc modo, potuissent habere matrem, hominem; sed cùm non sint facti homines, & non habeant in se, nisi nudam diuinam naturam, nullus eorum erit filius hominis, & Virgo nullius eorum poterit dici mater, & sic prima difficultas, vel primum dubium est solutum.

Secundum autem de leui poterit remoueri. Nam cùm Christus non sit filius Virginis, quod ab ea habeat diuinitatem, sed humanitatem tantum, consequens est, vt B. Virgo hoc modo sit Mater Dei, quia est Mater illius hominis, qui est Deus. Nulla ergo ratio probabilis, vel apparens nos potest inducere, vt dicamus Christum habere à Matre deitatem, sed solam humanitatem, cùm illa non sit Mater Dei, nisi quia est Mater illius hominis, qui est Deus, vt est per habita manifestū. Vtrum autem ex hoc, quod eadem est Mater hominis & Dei, & idem est Pater Dei, & hominis, propter unitatem suppositi, vel personæ, oporteat nos ponere in Christo vna

secunda dubitationis solutio.

Hæ propo-
sicio est ve-
ra, diuina
essentia est
Pater, Fi-
lius, & Spi-
ritus San-
ctus pro-
pter vnius,
& eiusdem
rei identi-
tatem, non
propter lo-
quutionis
proprietate-tem,

Solutio pri-
me diffi-
cultatis.

filiationem tantum, vel duas propter dualitatem naturarum, quarum vnam habet à Patre, alteram à Matre, in 8. distinctione patebit.

Aduertendum tamen id, quod in hac quæstione scripta communia adnotarunt, nolumus enim illud silentio pertransire, ne legentes hoc opus librorum multitudinem habere cogantur.

Dicunt ergo & benè, quod humanitas Christi, & maternitas Virginis sic sibi conexæ sunt, vt qui errauerit in uno, oporteat eum errare in alio, propter quod, quia B Nestorius errabat circa humanitatē Christi, afferens aliam esse personam humanitatis, & Deitatis in Christo, oportebat eū dicere, Virginem non esse Matrem Dei, sed hominis tantum, quia sequebatur secundum eum, quod Deus, & homo, non unus est Christus, cuius contrarium, vt hæc requirit materia, sufficienter est per habita declaratum.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod Virgo nō dicitur Mater Dei confusione substantiæ, vel naturæ, ita vt diuina natura, & humana ficerint vnam naturā communem in Christo, quia secundum Damascen. in Christo Iesu non est communem speciem accipere; sed hoc dictum est propter unitatem personæ, iuxta illud Symboli, non duo tamē, sed unus est Christus, unus autem non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam cum unus, & idem, & vna, & eadem persona in Christo esset homo, & Deus, & è conuerso, non poterat Virgo esse mater illius hominis, cùm ille homo esset Deus, nisi esset etiam Mater Dei.

D. Damasc.

Quia in Christo es vna tantum persona, qua est Deus, & homo ex eo, quod B. Virgo dicit. Verbi humanitatis, non potest dicimus illius minis, quia dicitur etiam Mater Dei.

Ad secundum dicendum, quod Deus ratione cōcretionis potest supponere pro quolibet diuino supposito, vel pro qualibet diuina persona, sed deitas ratione abstractionis stat pro ipfa natura diuina, & quia Virgo non est Mater hominis & Dei propter unitatem naturæ, sed propter unitatem personæ, ideo argumentum non concludit, vt si concedamus Virginem esse Matrem Dei, concedamus etiam ipsam esse Matrem Deitatis. Ad formam autem arguendi, cum dicitur, quod idem est in diuinis Deitas, & Deus, dīci potest, quod

Deitas, &
Deus sunt
idem secun-
dum rē si-
gnificatam
sed non se-
cunda mo-
dum sig-
nandi.

quod licet sit idem, non habet eundem. A modum significandi, propterea non concludit argumentum, ut patet ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc nomen Deus, sit commune omnibus tribus, tamen ex eo, cui adiungitur, vel ex eo, cui refertur, potest verificari pro una persona, quod non pro alia; ut si dicatur, Deus generat ratione ipsius adiuncti, non verificatur, nisi de una persona tantum, sic etiam si dicatur, Virgo est Mater Dei, quia ibi Deus refertur ad Matrem, non verificabitur nisi de Filio tantum, quia Pater, & Spiritus Sanctus non sunt incarnati. Fuerunt tamen aliqui, qui, ut communiter dicitur, trepidantes timore, vbi non erat timor, concedebant Virginem esse Matrem Filij Dei, & negabant ipsam esse Matrem Dei; sed hoc stare non potest, nisi negemus Filium Dei esse Deum. Nam si concedimus Virginem esse Matrem Filij Dei, & concedimus Filium Dei esse Deum, cogimur concedere Virginem esse Matrem Dei.

Ad quartum dicendum, quod ratione unionis personae diuinæ concedimus Virginem esse Matrem Dei; ad formam ergo arguendi, quod tota Trinitas poterit dici Pater Dei, vel Mater creatione, sicut Virgo potest dici Mater Dei generatione, de leui soluitur argumentum: Nam generatio non ita repugnat personis diuinis, sicut creatio, concedimus enim, & verum est, quod Pater generat Filium, & Filius generatur à Patre, non tamen verum, sed absurdum est, quod Pater creet Filium, vel Filius creetur à Patre.

Vel possumus dicere, quod generare, & generari propriè competit persone, non naturæ, potest enim natura esse ratio generandi, ut hoc modo exponatur illud dictum Damasc. lib. i. cap. 8. Generatio est opus naturæ, quia natura est ratio generandi. Nam hoc modo una persona generat aliam, siue in diuinis, siue in humanis, quia una persona assimilat sibi aliam in natura. Natura ergo est ratio generandi, sed illud quod generat, vel quod generatur, est persona. Nam ut supra diximus etiam in diuinis natura nec gignit, nec gignitur, nec procedit, & quia in Christo non est nisi una persona, & illa est increata, & æterna. idcirco &c.

Aegid. super iij. Sent.

Nom. Dei secundū se sit commu- ne tribus personis: ra- tione adiunc- ti, vel rela- tionis anne- xæ, si veri- ficatur de una perso- na, quod no- verificatur de alia. ita cum dicatur Mater Dei prout De- us refer- tur ad Ma- trem, de fo- lo Filio ve- nificantur.

Nō est par- rado de ge- neratione, & crea- cione.

Generari, & generare coparet per sonz, & nō naturæ, que tamum est ratio gene- randi.

Ad quintum dicendum, quod hæc duo dicta, Virgo est Mater hominis, & est Mater Dei, non sic se habent, quod vnum illorum sit verum per se, aliud per accidens, sed quodlibet potest dici verum per se; sed præfata duo sic possunt differre, quod vnum eorum est verum per se, & primò, & cum reduplicatione. Nam Virgo est mater illius hominis, quia homo, & quia habet naturam humanam ab ea, sed Virgo est Mater Dei, non quia habeat naturam diuinam ab ea, sed quia est mater hominis, & ille homo est Deus, ideo est Mater Dei: Ad id autem quod dicebatur de Damasco negante Virginem esse Genitricem hominis, inspicienda est ratio, quare hoc ab ipso dicitur. Etenim dicit illa verba contra Nestorium, ponentem in Christo duas personas, secundum quem modum, si Virgo esset mater hominis, esset mater puri hominis, & si esset Mater Dei, esset Mater nudi Dei, quorum vtrunque est negandum, propter quod eodem libro, & capite dicit: *Non enim hominem nudum, idest hominem purum genuit Sancta Virgo, sed Deum verum,* & non Deum nudum, secundum quem sensum sunt intelligenda verba postea posita, *Christotocon, & Dei Genitri- cem non dicimus Virginem,* scilicet eo modo, quo intelligebat Nestorius, ut nimis Virgo genuerit nudum Christum, vel purum hominem: sed de se genuit Deum verum, non nudum, sed incarnatum: sicut de se non genuit hominem purum, sed hominem Deum. Scripta autem communia in hæc argumenta vadunt per extranea dicentia, quod etiam verbis hereticorum non debemus vti: nos autem dicere possumus, quod eorundem verbis, vbi vera dicunt, possumus, & debemus vti, quia bonum est, ad veritatem declarandam, habere testimonium aduersariorum, sed vbi falsa dicunt, non debemus vti, quia debemus esse discipuli veritatis, detestando falsa, non consentiendo eis. Dictum ergo illud est falsum, quod Virgo genuit hominem, intelligendo hominem, nudum, vel purum, vt intelligebat Nestorius.

Verba Da- masc. sunt ita intelligenda, vt B. Virgo non dicatur Christoto- con, idest Christi ge- nitrix, eo modo quo ponebat Ne- storius, qui dicebat B. Virginem, vel matrem pu- ri hominis, vel puri Dei, & non Dei, & ho- minis simu- lit tenet Fi- des.

Verbis ha- reticorum, etiam vti li- cit quando dicunt veri- tatem, quia bonum est ad declara- dam verita- tem habere tes- timonio- aduersario- rum.

DISTINCTIONIS QUARTAE

Pars Tertia Principalis.

De conceptione Christi per comparationem ad gratiam.

QV AESTIO PRIMA.



O S T E A quæritur de tertio principali, videlicet de conceptione Christi per comparationem ad gratiam, secundum quam facta est huiusmodi incarnatio. Circa quod quæruntur duo.

Primo. Vtrum illam conceptionem, vel unionem naturæ humanæ in diuino supposito, præcesserint aliqua merita, vel fuerit ex gratia nullis præcedentibus meritis.

Secundo. Vtrum illa gratia possit dici homini illi naturalis.

ARTIC. I.

Vtrum incarnationem Verbi præcesserint aliqua merita. Conclusio est negativa.

Dicitur Thom. 3. p. q. 2. art. 1. Caiet. Medina. Silvius ibidem. Aluarez ad 3. p. disp. 15. 16. & 17. Valentia. tom. 4. disp. 1. q. 2. pun. 8. Suar. t. 1. disp. 10. f. c. 4. 5. & 6. Cabrer. q. 2. art. 11. disp. 1. 3. 4. 5. & 6. Ricch. in 3. d. 4. art. 3. q. 1. D. Bonau. in 3: d. 4. art. 2. q. 1. Vasquez ad 3. p. disp. 22. & 23. per totam. Alen. 3. p. q. 39. memb. 3. art. 2. Nazar. in Comm. ad 3. p. q. 2. art. 11. controu. 1. 2. & 3.



D primum si proceditur, videtur, quod antiqui Patres meruerint incarnationem Verbi, quia Isai. cap. 26. dicitur: *In semita iudiciorum tuorum Domine, substituimus te, nomen tuum*, id est

A saluatorem tuum: Sed quod expectatur in semita iudiciorum, est id, quod redditur in iudicio: sed in iudicio non redditur aliquid, nisi pro meritis. ergo &c.

Præterea. Super illud Psalm. *Fiat misericordia tua Domine super nos*. &c. vult Glossa, quod hoc intelligatur de desiderio quantum ad aduentum Christi, ubi vult, quod ita fiat, ut Christus veniat, & per hoc fiat, quia sperauimus in te, non in alio; ergo spes, quam habuerunt antiqui patres in Deo, & non in alio, fuit causa aduentus Christi, sed hoc non fuisse, nisi huiusmodi spes meruissest Christi aduentum: ergo &c.

Præterea, cum oratur, vel aliquid in oratione petitur, oportet, quod petatur omne illud, sine quo non potest haberi, quod petitur, quia aliter huiusmodi petitio, vel oratio esset vana: sed Sancti Patres per orationes suas meruerunt vitam æternam; ergo merebant omne illud, sine quo vita æterna non potest haberi; sed haec non potest haberi, nisi per aduentum & passionem Christi, cum vita æterna sit ipsa cognitio, vel visio Dei, iuxta illud:

Hac est vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum: Et ante passionem Christi nullus vidit Deum; sed sancti Patres meruerunt vitam æternam, & visionem diuinam: ergo meruerunt aduentum Christi, sine quo &c.

Præterea oratio, quæ fit purè, & perseveranter pro se, & de re pertinente ad salutem, meretur sui ipsius impletionem, sed sancti Patres orabant, & petebant aduentum Christi, iuxta illud Isai. 44. *Vtinam disrumperes Cælos, & descenderes.* Isa. c. 44. Cùm ergo haec petitio, vel oratio contineat omnia præfata: ergo &c.

Præterea. Per fidem operantem, per dilectionem, quam habemus de vita æterna, meremur eam: sed similiter antiqui Patres habebant fidem operantem per dilectionem, ergo merebantur vitam æternam, & per consequens merebantur aduentum Christi, sine quo vita æterna haberi non potest.

IN CONTRARIUM est, quod habetur ad Titum cap. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Iesu, non ex operibus iustitiae, &c.* Ad Tit. c. 3. sed ista benignitas,

benignitas Dei potissimum ostensa est in... A incarnatione Christi: ergo eius incarnationem non est ex operibus iustitiae, id est, ex meritis nostris, sed ex misericordia, & gratia Dei, quod salvi facti sumus per Christum.

Præterea. Esse aliquid ex meritis nostris, vel ex operibus nostris, & esse ex gratia, est velle contraria simul verificari, sic enim ait Apost. ad Rom. 11. de salute nostra. Si ex gratia Dei, ergo non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia.

R E S O L V T I O .

Christus suam incarnationem mereri non potuit, vt Deus, quia vt sic, omnia agit pro sua voluntatis arbitrio: neque vt homo, quia operatio meritoria præsupponit personam operantem, & sic mereretur antequam esset. Purus autem homo non meruit incarnationem de condigno; tūm primō, quia tota natura humana redempta est per Christum; tūm secundō, quia incarnationem est principium huius meriti: tūm tertio, quia meritum supponit gratiam, qua est per Christum. Sancti Patres tamen de congruo ipsam meruerunt, non quantum ad rem, sed quantum ad circumstantias temporis, generis, & personæ.

R E S P O N D E O dicendum, quod quæstio proposita potest habere quatuor membra, nani vel quæritur utrum aliqua merita præcesserint incarnationem Christi, seu an huiusmodi incarnatio, non ex præcedentibus meritis, sed ex gratia facta sit, vel hoc intelligitur, quod ista merita præcesserunt in Christo, ut sit sensus, quod Christus meruit incarnationem sui ipsius, & hoc poterit esse dupliciter, quia cum Christus sit verus Deus, & verus homo, vel huiusmodi merita præcesserunt in Christo in eo quod Deus, vel præcesserunt in eo quod homo: sic etiam si huiusmodi merita præcesserunt in alijs à Christo, id est in antiquis Patribus, quod enim antiqui Patres, vel alia quæcunque persona meruerint huiusmodi incarnationem, hoc potuit etiam esse dupliciter, vel quia meruerint ipsam rem, quem potest esse incarnationem, vel quia meruerint aliquam

circumstantiam, vel alias circumstantias rei: erit ergo quadruplex modus intelligendi quæstionem propositam. prius, quod ista merita præcesserint in Christo, secundum quod est Deus. Secundus, quod ista merita præcesserint in Christo, secundum quod est homo. Tertius, quod ista merita præcesserint non in Christo, sed in alijs quantum ad ipsam rem, quæ est incarnationem. Quartus tandem, quod ista merita in alijs, vel in alia persona à Christo præcesserint, non quantum ad ipsam rem, sed quantum ad aliquas circumstantias, vel aliquam circumstantiam rei. Primi autem tres modi stare non possunt, propriè loquendo, sed quartus stare potest modo, vel modis, quibus dicetur.

Primus ergo modus intelligendi, quod Christus, secundum quod Deus, meruit incarnationem sui ipsius stare non potest. Nam hoc est impossibile, quia Deus, secundum quod Deus, est ille, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui sua possit resistere voluntati, iuxta illud: *Voluntati eius quis resistet?* Ipsius ergo Dei, secundum quod huiusmodi, non est per meritum aliqua obtinere, sed pro sua voluntatis arbitrio, cuncta disponere, & ordinare: est enim Deus non solum sapiens, sed ipsa sapientia: & ad sapientem pertinet ordinare, & non ordinari, ut dicitur 1. Metaph. Ipse enim Deus est ille, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Respectu enim eius, non est currentis currere, nec volentis velle, sed totum miserentis Dei.

D Reprobato primo intelligendi modo quod ista merita non possunt præcedere in Christo secundum quod Deus, volumus reprobare secundum videlicet quod ista merita, non potuerunt præcedere in Christo, secundum quod homo: quia, hoc posito, sequeretur triplex inconveniens. hoc enim est mereri, agere opera meritoria.

Eset ergo primum inconveniens, secundum hanc hypothesim, quod aliquid ageret priusquam esset, id verò est contra communem animi conceptionem. Nam agere, secundum animi conceptionem, præsupponit esse, & si non tempore, saltem origine, vel natura, & naturali intelligentia, Christus autem, non prius fuit homo,

Christus secundum quod Deus, non potuit mereri incarnationem sui ipsius.

Rom. c. 9.

r. Metaph.
c. 2.
Rom. c. 9.

in Christo secundum quod homo non potuerunt præcedere in incarnationem. sequeretur enim triplex inconveniens.

Agere præsupponit esse saltem natura.

Questio pro
fisi potest
habere qua
tuor mem
bra

Ordo in
vnione Ver
bi, secundū
nostrū mo
dum intel
ligendi.

homo, quām esset sua humanitas vñita Verbo. Suam ergo incarnationem, vel suam vñionem ad personam Verbi, siue ad Deum non potuit mereri, in eo quod homo, quia non prius fuit homo, quām esset sua humanitas vñita Verbo. Immò cùm illa humanitas non constitut̄ personam aliquam, sed substentetur in persona Verbi ab ēterno in esse constituta, iste erit ordo nostrorum modorum intelligendi, quòd primò intelligimus humanam naturam vñitam personę Verbi, postea ex hoc intelligemus, quòd ex tali vñione Christus, secundū quòd homo, sit constitut̄ in esse, tertio intelligemus, quòd ille homo constitut̄ in esse, secundū quòd homo agat, & operetur, vt mereatur: ergo quòd Christus mereatur, secundū quòd homo suam incarnationem, vel vñionem ad Verbum, est impossibile, cum prius intelligatur illa natuta vñita Verbo, & postea intelligatur constituere hominem, quia natura humana in Christo non constituit hominem purum, sed hominem Deum.

Secundum inconueniens ad hoc idem est, quia dato, quòd sic esset, vt humana natura in Christo constituerit hominem, & postea ille homo fuerit assumptus à Verbo, & vñitus Verbo, sequeretur hoc inconueniens, quòd Deus, qui est ipsum esse, & omnibus est causa essendi, esset personę illius hominis causa destructionis, vel destruendi. Nam si humana natura in Christo constituisset hominem, antequam esset assumpta à Verbo, cogeremur dicere, quòd illa natura humana constituisset personam aliquam distinctam à Verbo. Et quia vñio illa facta est in vñitate personę, non posset homo ille postea vñiri Verbo, nisi destrueretur personalitas sua, vt posset natura eius in vñitate personę vñiri personę Verbi.

Tertium inconueniens ad hoc idem est, quia nunc illi homini non esset gratia vñionis naturalis, cuius contrarium habetur in littera. Nam quod est ex meritis, non est naturale.

Destructis duobus modis intelligendi, questionem propositam, videlicet, quòd nulla merita præcesserunt illam vñionem, secundū quam humanitas Christi vñita

A est Verbo, vel nulla talia merita præcesserunt in Christo suam incarnationem, quia non præcesserunt in eo, nec vt Deus est, nec vt est homo: volumus destruere tertium modum, nimirum, quòd nulla talia merita merētia incarnationem Dei, quantū ad ipsam rem, potuerunt præcedere in alijs, vel in aliqua quacunque persona à Christo. Ad quod probandum adducuntur tres rationes, & bonae, quarum prima est, quia efficacia incarnationis diuinæ se extendit ad totam naturam humanam, tota enim natura humana

Tribus ra
tionibus
probatur in
carnatione
quācum ad
rem ipsam,
nulla meri
ta præces
sere.

B redempta est per Christū, siue per Deum incarnatum, propter quod passio Christi satisfecit pro tota humana natura. Nam ante passionem Christi nullus potuit videre Deum, nec esse beatus in re, sed solū in spe. Ipse enim Ioannes Baptista, quo, *inter natos mulierum non surrexit maior*, quia fuit mortuus ante Christum, non incepit videre Deum, nec fuit beatus in re, nisi post mortem Christi. Nulla ergo merita alicuius hominis puri, vel quorūcunque purorum hominum potuerūt mereri incarnationem Christi, cùm per Christi incarnationem sit factum protota humana natura, quæ quodam modo infinita dici potest, quia, si non deficeret motus cœli, & semper esset generatio hominum, infiniti homines generarentur, & si non incepissent huiusmodi motus, semper fuisset generatio hominum, & fuissent infiniti homines generati. Quòd ergo merita alicuius puri hominis, vel quorūcunque purorum hominum potuissent mereri ipsam rem, quæ est incarnationis Christi, per quam factum est protota natura humana, quæ de se est quodam modo infinita, est impossibile per se loquēdo, sed cùm Christus pateretur non patiebatur purus homo, sed ille homo, qui erat quoque verus Deus, vt ex hoc verus Deus diceretur pati: Ideo si meritum eius se poterat extendere ad aliquid, quod de se erat infinitum, non est inconueniens.

Io. Baptista
qui mor
tuus est an
te Christi
non incepit
videre De
um, nisi
post morti
Christi.

C Per Christi
incarnationem
est factum
protota
naturae
humana,
quæ est que
dammodo
infinita.

Et quodam modo infinita, est impossibile per se loquēdo, sed cùm Christus pateretur non patiebatur purus homo, sed ille homo, qui erat quoque verus Deus, vt ex hoc verus Deus diceretur pati: Ideo si meritum eius se poterat extendere ad aliquid, quod de se erat infinitum, non est inconueniens.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex eo, quòd incarnationis Christi est principium omnis meriti, quia, secundum August. in 8, de ciuit. Dei cap. 47. *Nulli concessum est pertinere ad spiritualem Ierusalem*, cui non fuerit reuelatus Christus;

Christi in
carnatio
principium
omnis, me
riti.

D. P. Aug.
8. de ciuit.

Dei c. 47.

ex quo concordi potest, quod incarnatio Christi quae est principium omnis meriti, non potest propriè cadere sub merito: ergo &c.

Tertia via, siue tertia ratio ad hoc idē sumi potest, quia nihil agit ultra suum modum, vel ultra suam speciem. Modus autem merendi puri hominis, vel purorum hominum est, quod sint participatiū, & secundū gratiam, iuxta illud Psal. *Ego dixi, Dij es̄tis, & filij excelsi omnes.* Non enim sumus Dij, vel filii Dei excelsi, nisi per gratiam, & non per naturam. Quod ergo incarnationis Filij Dei cadat sub merito humano, & quod hoc, videlicet, ut homo sit Dei filius naturalis, cadat sub merito puri hominis, vel purorum hominum, est impossibile.

Euacuatis tribus modis intelligendi propositam quæstionem, volumus ostendere & declarare quartū, videlicet quod non ipsa res, quae est incarnationis, sed supposita huiusmodi re futura, ex Dei voluntate, & ordinatione, quia sic Deus ordinavit, & voluit, quod ille idem, qui erat in Deitate, Dei Filius, esset in humilitate hominis filius per incarnationem, quantum ad alias circumstantias huius rei potuit id aliquo modo cadere sub merito purorum hominum, vel puri hominis.

Habuit enim hoc factum tres circumstantias, quantum ad præsens spectat, videlicet, temporis, generis, & personæ. *Tres circūstantiæ in- carnatio- nis, scilicet Temporis, Generis, & Personæ, qui aliquo modo sub merito ca- dere potue- runt.* Habuit enim primò circumstantiam temporis, & poris, quia facta fuit in hoc tempore, & non in alio. Secundò circumstantiam generis, quia facta de hoc genere, videlicet de genere Iudeorum, siue de stirpe David. Tertiò circumstantiam personæ, quia haec incarnationis facta fuit, non solum in hoc tempore, quia in plenitudine temporis, sed etiam facta fuit in hac persona, siue in hac muliere, videlicet in Maria Virgine, & non in alia, iuxta illud ad Galat. 4. *At ubi venit plenitudo tem- poris, misit Deus Filium suum factum ex muliere, idest ex Maria Virgine.*

Istæ autem circumstantiæ potuerunt aliquo modo cadere sub merito. Ut circumstantia temporis potuit cadere sub merito quantum ad accelerationem, nam si dilatio Christi potuit cadere sub demerito malorum, iuxta illud Pial. *Tu verò repu-*

listi, & distulisti Christum tuum vbi
Glossa dicit, *distulisti, idest non attulisti.*
quia ergo Deus est pronior ad miserendum, quam ad condemnandum; si dilatio incarnationis Filij Dei facta est propter malos, multo magis acceleratio adueniens Christi facta est propter bonos; omnia nim præuidit Deus ab æterno; & omnia continentur sub diuina prouidentia, quæ non solum non excludit secundas causas, itinò potius includit.

ed si diceret aliquis, quod quia Deus dūrāuidit commesturū: ergo de necessi- obiectio.

B sic erit: propter quod non volet sibi lauare manus, nec ponere se ad mēsā, nec procuare sibi cibum: Verū fatua esset talis cogitatio: respondemus enim ei, quod Deus & præuidit eum comesturū, & hoc modo comesturū, quod scilicet prius deseret sibi lauare manus, & cætera alia facere: Atque ita Deus præuidit Filium suū incarnandum hoc modo, vt prius prædiceretur incarnationis eius per Prophetas, & etiam vt prædiceretur tali modo. Quod si propter malorum demerita fuit dilata, potest etiam verè dici, quod propter bonorum merita fuerit accelerata. Non enim in vanum reuelatum fuit Symoni, *Non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum,* vt in omnibus talibus dicamus, *Ita Pater, r. Luc. c. 10.*

C *quoniam sic placitum fuit ante te.* Incarnationis ergo Verbi, supposito quod ipsa res fuerit à Deo ordinata, potuit cadere sub merito, quantum ad hanc circumstantiam temporis, & quod esset per sanctos viros talis incarnationis accelerata.

D Secundò potuit hoc cadere sub merito quantum ad circumstantiam generis. Nam quia multi boni fuerūt de genere Iudeorum, ad quos facte sunt promissiones de Christo, supposita re, quae est incarnationis, potuit cadere sub merito, quantum ad hanc circumstantiam, quod fieret de semine David, idest ex genere David, vel ex genere Iudeorum secundū carnem.

Tertiò potuit cadere sub merito quantum ad personam, ex qua, vt quod fieret incarnationis, & assumeret Christus carnem de hac persona signata, scilicet de Virgine, iuxta illud, quod canit Ecclesia: *Beata viscera Mariæ Virginis, &c.* Aduertendum tamen, quod etiam quantūm

Dilatio in-
carnatio-
nis propter
malos: & ac
celeratio
propter bo-
nos.

Cadere sub
merito du-
pliciter in-
telligi po-
teſt, vel de
condigno,
vel de con-
gruo.

Incarnatio
reddita fuit
pro meritis,
non quantum
ad rem, sed
quantum ad
circumstan-
cias.
Vel non de
condigno,
sed de con-
gruo.

Distingue
ut supra.

D.P. Aug.
tom. 3.
Negatur pri-
ma conclu-
sio, quia no-
stat sub ma-
iori propo-
sitione: ne-
gatur etiam
minor sub
supra, quia
est falsa se-
cundum A-
post.

Sancti non
perebant in
suis oratio-
nibus incar-
nationē, sīm
rem, quia
ipsam cre-
debāt cerid
futurā, sed
perebāt ac-
celerationē.

tū ad has circumstantias non cadit
incarnatio sub merito condigni, sed sub
merito congrui.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod incarnatio reddita fuit pro meritis, & si non quantum ad rem, sed quantum ad circumstantias rei, et si non de condigno, saltem de congruo, modo quo dictum est, vel possumus dictum Isaiae exponere per illud, quod dicit Dauid, *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris*, B id est cum in iudicio ad alios comparatis. cum ergo videamus alios homines bonos obseruare suas promissiones, multo magis Deus, qui essentialiter bonus est, debet suas promissiones adimplere: ergo in hac semita iudiciorum, ne Deus iudicetur, mendax debuerunt Isaías, & alij Prophetæ expectare incarnationem Christi.

Ad secundum dicendum, quod spes antiquorum Patrum fuit causa incarnationis de congruo, non de condigno, vel fuit causa quantum ad alias circumstantias, non quantum ad ipsam rem, vel si fuit causa quantum ad ipsam rem, hoc non fuit secundum se, quoniam tantum bonum non poterat cadere sub merito humano, sed potuit hoc esse cum hac circumstantia, prout huiusmodi incarnatione erat à Deo promissa.

Ad tertium dicendum, quod vnde deficit argumentum, primò enim deficit, quia aliis modis fuit possibilis, vt vult August. 3. de Trinitat. cap. 10. Secundò deficit, quia non omne illud, sine quo non potest haberi vita æterna, cadit sub merito, quia tunc gratia caderet sub merito, & si caderet sub merito, non esset gratia, vt patuit per Apostolum ad Rom. cap. 11.

Ad quartum dicendum, quod Sancti Patres non propriè petebant ipsam rem, quae est incarnatio, quam ex promissione diuina firmiter per fidem credebant futuram esse, sed petebant incarnationis accelerationem, & dicebant, *Vtinam di- rumperes Cœlos, & descenderes*, id est, *Vtinam cito venires, & accelerares ad- ventum tuum*, vel possumus dicere, quod

A in huiusmodi oratione non proprie petebant aliquid pro se, quia non petebant aliquid, quod fieret in persona eorum, sed in persona Filii Dei.

Ad quintum dicendum, quod vita æterna dicit beneficium redditum personæ, sed incarnatio dicit beneficium proficuum toti humanæ nature, propter quod si primū potest cadere non est simile, si bonum personale cadat sub merito, quod bonum quoque totius naturæ sub hoc cadere possit.

ARTIC. II.

Vtrum Gratia possit dici Christo homini naturalis. Conclusio pro- blematica.

D.Thom. 3.p.q.2.ar.12. Caiet. & Medina; & Suarez ibidem. Valentia, tom. 4.q.2. punto 7. Cabrera q. 2.art.12. disp. 1. & 2. Nazarius ibidem controversia vnica. Vasquez disp. 24. Ricchar. in 3.dist. 4. art. 3. q. 2. D.Bonau. in 3.d. 4.art. 2. q. 3.

ECVNDO quæritur. Vtrum gratia possit dici illi homini naturalis, & videtur, quod non: quia gratia, & natura diuiduntur ex opposito: sed unum oppositorum non denominatur aliud, quia non dicitur album nigrum, nec è converso: ergo &c.

Præterea. Naturalia oriuntur ex principijs naturæ: sed ex principijs naturæ humanae non oritur gratia: ergo &c.

Præterea. Per naturalia non meremur: sed Christus meruit per gratiam, quam habebat, vt infra patebit: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quia causæ naturalium, sunt naturaliter: sed Christus per gratiam unionis est Dei Filius naturalis: ergo &c.

Præterea in littera dicitur, & est sumptum ab August. in Enchirid. c. 35. quod illa gratia est illi homini naturalis: ergo &c.

D.P. Aug. in
Enchirid.
cap. 35.



Dub. Lateralis.

Vtrum gratia habitualis, qua fuit repletus Christus, potuerit ei dici naturalis. Conclusio est affirmativa.

D Thom. 3. p. q. 2. art. 12. Caiet. Medina. Porrecta. Alua- rez. Valentia. Vasquez. Suan. & Nazarius locis supracitatis. Dur. in 3. d. 4. q. 3.



L T E R I V S forte dubitaret aliquis, dato, quod gratia vñionis posuit dici illi homini naturalis. Vtrum gratia habitualis, qua fuit repletus Christus, potuerit ei dici naturalis.

Et viderur, quòd non: quia quod facit filios adoptionis, non videtur, esse aliqui naturale: sed gratia habitualis, quæ est donum Dei, facit filios adoptionis: ergo &c.

Præterea. Licet per gratiam vñionis sit Christus Dei Filius naturalis, tamen per gratiam habitualem non videtur, quòd sit filius naturalis, quia tunc omnes habentes huiusmodi gratiam Dei essent filii naturales, sed hoc est falsum: ergo &c.

I N C O N T R A R I V M est, quia quod simul oritur cum aliquo, videtur, esse ei naturale, sed gratia habitualis in illo instanti, in quo conceptus fuit Christus in Virginē fuit in eo: ergo &c.

RESOLVTIO ARTICVLI Principalis.

Gratia vñionis non fuit Christo homini naturalis secundum essentiam, vel secundum rem: sed benè secundum sex effectus ipsius gratiae. Primo fecit, ut Christus homo esset naturalis Filius Dei Patris. Secundo, ut talis esset verus filius Virginis Matris. Tertio, ut diceretur homo naturalis per naturam humanam, sicut ceteri homines. Quartò, ut eius natura humana haberet esse participatum, & in alio, ut cetera creata naturaliter

A habent. Quintò, ut suppositum diuinum suppleret vices suppositi creati, quod naturaliter potest cōpetere omnibus suppositis diuinis: sicut natura diuinæ supplere vices cuiuslibet natura creata. Sextò, fecit hominem Christū impeccabilem, & cōcut peccatum dicitur prater, vel contra naturam, ita virtus opposita, & impeccabilitas comparatiuè potest dici secundum naturam, & naturalis.

V A N T V M ad dubitationem primam, scripta communia respondunt, gratiam vñionis esse Christi naturalem, quia per huiusmodi gratiam, est Christus Dei Filius naturalis; & quia quod est causa, vt aliquis sit filius naturalis, potest dici quid naturale, ideo gratia vñionis potest dici illi homini naturalis, quia per eam est Dei Filius naturalis. Verum verba Sanctorum, & maximè D.P. Augustini tanti doctoris, & iam profundi, non debent sic leuiter pertinqansiri.

Possumus ergodicere, quòd illi homini gratia vñionis fuit naturalis quinque modis, vt sit primus modus, qui iam dictus est, prout ille homo comparatur ad personam Dei Patris, cuius per gratiam vñionis est filius naturalis. Secundus modus sit, prout comparatur ad hominem matrem. Tertius modus, prout comparatur ad suam personam propriam. Quartus modus, prout comparatur ad suam naturam humanam. Quintus, prout comparatur ad suam naturam diuinam.

Declarato ergo primo modo, prout Christus comparatur ad Deum Patrem.

Secundus modus, prout comparatur ad hominem matrem, sic declarari potest. nam per illam gratiam vñionis, per quam vniuit sibi naturam humanam, quam assumpsit, de Virgine matre, factus est filius hominis, id est filius Virginis matris naturalis: & quia quod est causa, vt aliquis sit filius naturalis, potest dici illi quid naturale, ideo gratia vñionis potest dici Christo naturalis, non solùm, vt comparatur ad personam Dei Patris, cuius per gratiam vñionis, homo ille est Filius Dei Patris naturalis, sed etiam, prout per tales gratiam comparatur ad hominem, vel Virginem matrem, quia per eam,

Opinio ac
liorum.

Refellitur
dicta opin.

Christogra
tia vñionis
fuit natura
lis quinque
modis.

eam, vt patet, est illius hominis, vel **A** illius Virginis filius naturalis.

Tertius modus est, prout Christus comparatur ad suam personam propriam, quia Christus factus est homo eiusdem speciei nobiscum, & est eiusdem speciei cum omnibus hominibus: sed hanc videmus in omnibus suppositis, non solum humanis, sed quarumcunque rerum, quia quilibet natura est in suo supposito naturaliter: quod ergo in omnibus alijs hominibus est sua natura naturaliter, hoc fecit in Christo gratia vniōnis, vt esset Christus verus, & naturalis homo per naturam humanā, sicut cæteri homines, sunt homines naturales per suam naturam humanam. **B** Non est enim Christus homo adoptiūus, sed homo naturalis, per naturam humanam, sicut & cæteri homines, sed hoc non posset esse, nisi illi homini esset huiusmodi gratia naturalis: ergo &c.

Quartus autem modus, prout comparatur ad suam naturam humanam, sic patet, quia in hoc differt diuina natura ab omnibus alijs naturis, quia natura diuina est ipsum suum esse, & non habet esse, per participationem: omnis autem alia natura, est natura creata, & non est suum esse, sed participat esse, & non habet per se esse, sed semper habet esse in alio. Propter quod quantum ad hoc, vera est illa propositio Alani. *Deus est, respectu cuius omnis alia substantia est accidens.* quia, sicut non habentis per se esse, est in alio esse, & sicut accidens non est ens, nisi quia entis, sic quilibet natura creata non est ens, quod habeat esse per se, sed est ens, quia est entis, vel est ens, quia habet esse in alio, id est in suo supposito, & habet esse, per esse suppositi.

Differt tamen substantia etiam creata ab accidente, quia licet talis substantia in alio, non ut accidens in subiecto, sed ut in supposito, quod constituit.

*Substantia
lis natura
dicitur esse
in alio, non
ut accidens
in subiecto,
sed ut in
supposito,
quod con-
stituit.*

*Natura hu-
mana in
Christo ha-
buit dupli-
cem modū
accidentis.
Accidens verò suum subiectum non
constituit in esse, sed substentatur in
illo iam in esse constituto. Et in hoc na-
tura humana in Christo habuit duplicem
modum accidentis. Vnum, quem habent
omnes naturæ creatæ, etiam substantia-
les, quæ non habent per se esse, sed de
necessitate substentantur in aliquo suppo-*

sito. Alium autem modum accidentis ha-
bet natura humana in Christo, quia sicut
accidentia non constituunt subiectum, in
quo sunt, sed substentantur in subiecto, iam in esse constituto, sic humanitas
Christi non constituit suppositum, in-
quo est, sed substentatur in supposito ab
æterno in esse constituto. Redeamus er-
go ad propositum, & dicamus, quod cum
hoc sit naturale naturæ humanæ, vt non
habeat esse per se, sed semper habeat
esse in supposito aliquo, gratia vniōnis,
per quam natura humana in Christo sub-
stentatur in aliquo supposito, quia sub-
stentatur in supposito Verbi, quantum ad
hunc effectum, potest dici quid natu-
rale.

Quintus autem modus, secundū quem
gratia vniōnis potest dici quid naturale,
potest sumi, prout suppositum Verbi
comparatur ad suam naturam diuinam.
nam hoc est naturale naturæ diuinæ, quod
possit supplere vices omnium aliarum na-
turarum, quia quicquid potest natura-
diuina, cum natura ignis, vel aquæ, vel
quacunque alia natura, potest sine huius-
modi natura, potest enim caleficere sine
natura ignis, infrigidare sine natura
aquæ, & facere effectus omnium aliarum
naturarum, sine alijs naturis. Et sicut
naturale est diuinæ naturæ posse supplere
vices omnium aliarum naturarum, & fa-
cere sine illis naturis, quicquid possunt
omnes aliæ naturæ, sic naturale est cuili-
bet supposito, vel cuilibet personæ in illa
natura, supplere vices omnium aliorum
suppositorum, vel omnium aliarum per-
sonarum, & facere sine illis personis, siue
suppositis, quicquid possunt omnia illa
C supposita, vel personæ.

His autem omnibus benè intellectis,
possumus clare videre, quomodo sit fa-
cta vnio naturæ humanæ, & diuinæ in-
illo supposito, vel in illa persona Verbi.
nam licet in alijs hominibus, quilibet
natura constituat suum suppositum, &
substentetur in esse in suo supposito, per
eam constituto, in solo Christo fuit hoc
singulare, quod natura humana in ipso
non constituit suppositum, vel personam,
sed substentatur in supposito, vel in perso-
na Verbi, ab æterno in esse constituta.
Patet ergo quomodo gratia vniōnis de-
Dbet

*Sicut natu-
rale est na-
turæ diuinæ
posse sup-
plere vices
omnium a-
liarum na-
turarum: ita
naturale est
cuilibet sup-
posito diu-
no posse sup-
plere vices
quotilibet
suppositorum
excitorum.*

bet dici quid naturale, prout suppositum, vel persona Verbi comparatur ad suā naturam diuinam, quia sicut naturale est illi naturæ, quod possit supplere vices omniū aliarum naturarum, sic naturale est cuiilibet supposito in illa natura, quod possit supplere vices omnium aliorum suppositorum. Et quia hoc fecit illa vnio, vel illa gratia vnionis, vt suppositum Verbi, quod est suppositum in natura diuina, suppleret vices suppositi humani, & in eo substentaretur humana natura Christi, sicut aliæ naturæ humanæ substantantur in suis suppositis; ideo manifestè patet, quomodo illa vnio, vel illa gratia vnionis potest dici quid naturale, prout suppositum Verbi comparatur ad suam naturam diuinam.

Assignati sunt ergo quinque modi, quibus gratia vnionis potest dici naturalis illi homini Christo, quorum unus modus fuit cōmunitas, & quatuor alij particulares, quos superaddidimus: possumus rursus assignare sextum, quem tangit Augustinus, à quo ista verba sumuntur in Enchiridio cap. 38. vt dicatur gratia vnionis esse in Christo naturalis, prout operationes humanæ comparantur ad virtutem, & virtutes, vt dicatur aliquid opus naturale, prout est virtuosum, & dicatur præter naturam, vt est vitiosum, secundum quem modum loquitur Damascen. lib. 2. cap. 30. quod virtutes sunt secundum naturam, & virtia præter naturam, vel contra naturam. Et quia hoc facit gratia vnionis in Christo, quod ille homo non posset peccare, & non posset facere opera vitiosa, quæ sunt præter naturam, sed solum virtuosa, quæ sunt secundum naturam, ideo etiam quantum ad hunc modum sextum, potest dici gratia vnionis illi homini naturalis. Hoc est ergo quod August. ait in p̄fato libro, & capitulo Enchiridij, quod in humanæ naturæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum posset committere.

D.P. Aug. in
Enchirid.
c.38.

Opus virtuo
sum dicitur
opus natura
rale.

D.Damasc.

Gratianu
ris fecit
Christū im
peccabile.

A & natura diuiduntur ex opposito, quantum ad id, quod sunt per essentiam, quia hoc est natura, quod ei debetur ex debito suorum naturalium principiorum. Hæc autem est gratia, quæ datur ex mera liberalitate, nullis praecedentibus meritis, secundum quem modum gratia vnionis fuit maxima gratia, quæ vt ait Augustinus in Enchiridio cap. 38. *De Maria Virgine natus Dei Filius insinuat nobis gratiam Dei, quia homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturæ sua, quo esse cepit, Verbo Dei, vel Verbo Deo copularetur in unitate persona, & quamvis hoc modo illa gratia vnionis Dei, non debeat dici naturalis: tamen quantum ad sex suos effectus, potest illa gratia vnionis dici naturalis, vt est per habitus declaratum.*

B Ad secundum dicendum, quod in Christo est duplex natura humana & diuina; & quamvis illa gratia vnionis non habuerit suæ originis principium, ex natura humana in Christo, habuit tamen suæ originis principium, & suæ factioonis causam, ex natura diuina existente in Christo, quæ est eadem in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Nam licet solus Filius sit incarnatus, vel unitus carni, illam tamen incarnationem, vel unitatem operata est natura diuina, vel tota Trinitas.

C Ad tertium dicendum, quod licet Christus fuerit verus homo, sicut alij homines, non tamen erat purus homo, sicut & alij homines, quo sequitur, quod gratia vnionis possit dici sibi naturalis, & non alijs hominibus,

D Ad quartum dicendum, quod gratia vnionis potest dici naturalis quantum ad multos effectus, vt est per habitus declaratum, in se tamen fuit maxima gratia, quæ posset fieri homini. Nam August. in p̄fato cap. Enchiridij ait, *hoc insinuare nobis Dei gratiam, vt homo copularetur Verbo in tantam personæ unitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei.*

Gratianu
ris non di
citur natu
ralis secundū
essentiā, sed
secundū suos
sex effectus,
& si p̄imo
modo oppa
nitur natu
ra, non se
cundo.

In Christo
fuit duplex
natura, diui
na, & huma
na: gratia
non habuit
originem a
natura hu
mana, sed a
natura di
uina.

Puri homi
nes per na
turalia non
merentur:
sed Christus
erat Deus,
& homo,
propter
quod gratia
vnionis er
rat sibi na
turalis, &
ideo per
gratia vn
io nis mer
ens potuit.

Causa vnio
nis dupli
citer confide
ratur, vel in
se, vel quan
tum ad suos
effectus, no
naturæ a
lis primo
modo, sed
secundo.

RESP. AD ARGUMENTA Principalis Articuli.

Ad primum autem argumentum pri
mæ questionis, dicendum, quod gratia,
Aegid. super iij. Sent.

Resolutio Dub. Lateralis.

*Gratia habitualis Christo potest dici natu
ralis, quia eam habuit in exordio tem
poris,*



poris, in quo habuit naturam huma-
nam: & quia est à natura diuina in-
Christo existente: ac tandem, quia na-
tura dici potest omne illud, quod intelle-
citu capi potest, & quod informat ali-
quid propria, & specifica differentia,
quorum utrumque competit gratiae ha-
bituali Christi.

Aliorū ra-
tiones ad
quæst.

D secundam dubitationem late-
 A ralem. Vtrum gratia habitualis,
 possit dici Christo naturalis, re-
 spondent dicta communia, & assignant
 duplē modum, quibus gratia ha-
 bitalis possit dici Christo naturalis, quo-
 rum unus sumitur ex parte temporis.
 Nam illud, quod competit alicui, ex ipso
 exordio temporis, quo incēpit esse homo
 potest dici illi naturale: talis fuit Christo
 homini gratia vniōnis, & gratia habitua-
 lis: ideo potest dici vtraque huiusmodi
 gratia homini naturalis, vel quasi natu-
 ralis: Et hæc via communis bona est,
 quia est via Augustini in p̄fato capite
 Enchiridij, qui indifferenter loquens de
 gratia Christi, dicit eam esse na turalem,
 vel quasi naturalem, quia competit ei, ex
 ipsa origine naturæ suæ, quæ esse cœpit:
 id autem non potest intelligi de Christo
 in eo, quod Deus, quia hoc modo esse non
 cœpit, sed solum competit ei in eo, quod
 homo, quia non ab æterno, sed quando
 venit plenitudo temporis factus est
 homo.

Secunda via, vel secundus modus
 communis est, quia tām gratia vniōnis,
 quām gratia habitualis fuit Christo na-
 turalis, quia vtraque gratia facta est ab
 aliqua natura existente in Christo, non
 ab humana, sed à diuina. Nam vtraque
 gratia fuit quoddam opus, vel quidam
 effectus diuinæ naturæ.

Ratio Do-
 toris Ac-
 gidij.

Nomen na-
 turæ quo-
 modo sum-
 tur secundū
 Boetium.

Possumus autem nos tertiam viam,
 vel tertium modum assignare. Nam in
 omnibus rebus sermones sunt expetendi
 secundū materiam: Quia natura potest
 dici secundū Boetium in lib. de duabus
 naturis, omne illud, quod aliquo modo
 intellectu capi potest, vel natura dicitur
 omne illud, quod informat aliquid pro-
 pria, vel specifica differentia, secundū
 quem modum ipsa gratia est quædam na-
 tura, quia est aliqua res, quæ intellectu ca-

A pi potest, vel est aliquid informatum suo
 proprio, vel sua specifica differentia, sed
 si gratiae potest competere nomen naturæ,
 potest sibi competere aliquid, quod est
 sibi naturale. Etenim quod posterius est,
 semper p̄fupponit illud prius, sine quo
 esse non potest. Dicemus ergo, quod in-
 uenimus Deum vñiri sex modis rebus.
 Nam tribus modis, per p̄fentiam om-
 nia cernendo, & videndo, per potentiam,
 omnibus dominando; per essentiam om-
 nia conseruando, vñitur omnibus rebus
 creatis. Vnde August. 10. confessionum
 B vult, quod si ad momentum dimitteret
 D.P. Aug.
 rom. 1.
creataram, in eternum creature non effet.
 Quarto modo est Deus in rebus, scilicet
 in solis iustis per gratiam. Quinto est in
 solis beatis, per gloriam. Sexto in solo
 Christo, per vñionem personæ Verbi. Iste
 autem sextus modus est ultimus modus
 essendi Dei in aliqua re, & naturale est
 isti modo p̄fupponere omnes alios mo-
 dos. Propter quod si humana natura in
 Christo est vñita Deo, siue Verbo, in vñi-
 tate personæ, oportet, quod ista vñio na-
 turalis p̄fupponat omnes alias vñiones:

C Propter quod naturale est isti vñioni, se-
 condūm quam Deus est vñitus humanæ
 naturæ personaliter, quod sit ei iunctus,
 per gloriam: ideo Christus simul erat via-
 tor per passibilitatem corporis, habens
 in se habitum gratiae, & comprehensor,
 per visionem apertam, habens in se habi-
 tum gloriae. Fuit ergo Deus in Christo
 homine per p̄fentiam, potentiam, &
 essentiam, sicut est in omnibus rebus, &
 fuit in eo per habitum gratiae, sicut est, &
 amplius quām in omnibus iustis viatori-
 bus, & fuit in eo per gloriam, & visionem
 apertam, sicut est in omnibus comprehen-
 soribus, quas omnes vñiones naturali-
 ter p̄fupponit (vt dictum est) vñio
 personalis. Cūm ergo quæritur. Vtrum
 gratia habitualis effet Christo naturalis,
 dici potest, quod si naturalis est Christo
 vñio personalis omnibus illis sex modis,
 quibus dicimus, naturalis est Christo
 gratia habitualis, vel habitus gloriae,
 per visionem apertam, tanquam quæ-
 dam p̄fupposita naturaliter à gratia
 vñionis personalis.

Gratiæ po-
 test compe-
 tere nomen
 naturæ.

Deus vñi-
 tur rebus
 sex modis.

D.P. Aug.
 rom. 1.

Vñio per-
 sonalis in
 Christo p̄f-
 supponit na-
 turaliter vñ-
 iones per
 potentiam
 p̄fentiam
 essentiam,
 gratiam, &
 gloriae.
 sic gratia
 habitualis
 p̄fupposi-
 tiue dicitur
 naturalis,
 quia na-
 turaliter à
 gratia vñ-
 ionis p̄fap-
 ponitur.

QV AE ST. I.

RESP. AD ARGUMENTA

Dubitacionis Lateralis.

Ad primum dicendum, quod non est inconueniens aliquid esse speciale in Christo, quod non in aliquo alio: Licet ergo gratia habitualis faciat alios homines filios adoptionis; Christum tamen, qui erat Dei Filius naturalis, non fecit filium adoptiuum, quia quando aliquid de-

Quando in aliquo est simpliciter & secundum qui d, denominatio sit ab eo, quod est simpliciter, & non ab eo, quod est secundum quid.

nominatur ab eo, quod est perfecte, & simpliciter, non debet denominari ab eo, quod est imperfecte, & secundum quid. Cum ergo esse filium naturale, sit esse filium simpliciter, & perfecte, esse autem filium adoptiuum, sit esse filium imperfectum, & secundum quid, Christus, qui est Dei Filius naturalis, nullo modo debet dici filius adoptius. Ex hoc autem patere potest bona, & pulchra ratio, quare Christus non dicitur filius Spiritus Sancti, quia

Quia Christus est Patris, & Matris filius naturalis, non potest dici adoptius.

si esset eius filius, esset filius adoptius, à qua filiatione nullo modo debet denominari Christus, cum sit Dei Patris, in eo quod Deus, & hominis matris, in eo quod homo, filius naturalis. Propter quod nec Spiritus Sancti, nec sui ipsius, nec totius Trinitatis debet dici filius adoptius, quia quando potest esse denominatio ab eo, quod est simpliciter, non potest fieri ab eo, quod est secundum quid. Hoc ergo dictum, cum alijs superius enarratis, hanc materiam sufficienser declarant. Et propter hoc potest patere solutio ad secundum, quia licet gratia habitualis faciat alios homines Dei filios adoptionis, Christus, qui est perfecte Dei filius naturalis, à tali filiatione Dei adoptiu, quae est secundum quid, & imperfecta, denominari non debet.

Gratia habitualis facit filios Dei adoptivos illos, qui non sunt filii naturales, si enim est Christus.

Dub. I. Litteralis.



V P E R litteram, primo queritur de illis verbis: *Vno nominato in diuinis, omnes tres intelliguntur.* Contra. Dicimus Dei Filium incarnatum; non tamen propter hoc intelliguntur omnes tres personæ.

DICENDVM Verba Magistri, vel Augustini intelligenda esse in ijs, quæ Aegid. super iij. Sent.

ART. III.

183

A sunt essentialia, non personalia, vt quia generare est quid personale in Patre, non valet, quod si Pater generat, omnes tres generant. Et quia incarnationis est quid personale in Filio, cùm facta sit unio incarnationis in persona Filii, non valet si Filius est incarnatus, quod omnes tres sint incarnati.

B Verùm, quia, licet ad personam Filii sit terminata incarnationis, & hoc sit personale in Filio, tamen operari, vel facere illam incarnationem, vel induere Filium carne, est quid essentiale, & est commune toti Trinitati. In talibus ergo nominato uno, omnes tres intelliguntur, propriè loquendo. Nam loquendo appropriatè, non est inconueniens, quod est commune omnibus tribus personis, appropriari vni personæ tantum.

Dub. II. Litteralis.



LTERIVS fortè aliquis inquiret de eo, quod in littera dicitur. Non est concedendum, quod quicquid de aliquo nascitur sit filius eius, quomodo verifice-

tur hoc dictum.

C DICENDVM, quod esse de aliquo, vel ex aliquo, potest intelligi materialiter, cùm dicitur, quod gladius est de ferro, vel ex ferro, & scannum de ligno, vel ex ligno. Potest etiam hoc intelligi effectiū, cùm dicitur, quod gladius est de fabro, & scannum de carpentario: & quia filius comparatur ad matrem materialiter, ad patrem vero effectiū, utroque modo possumus querere de veritate quæsti, & loqui, per comparisonem ad matrē. Vtrum quicquid nascitur de aliquo materialiter, possit dici eius filius, tanquam matris: & Vtrum quicquid nascitur de aliquo effectiū, possit dici eius filius, tanquam patris. Propter quod sciendum, quod esse de aliquo materialiter, non sufficit ad hoc, quod sit eius filius, tanquam matris, sed oportet quod illud, de quo nascitur aliquid materialiter, sit eiusdem speciei, cum illo, de quo nascitur, propter quod capillus, lúbricus, &c. quæ oriuntur de homine materialiter, non sunt filii hominis, tanquam matris,

Id quod ex aliquo nascitur, ad hoc ut dicatur filius, quæ requiriuntur.

Q 2 nec

Dicitur Magistri intelligenda est essentialiter, non personaliter.

nec tanquam Patris, quia secundum quod huiusmodi, non sunt eiusdem speciei, cum homine. sed verè Christus fuit filius Virginis, quia de ea natus materialiter: ut natus de ipsa, fuerit eiusdem speciei cum ipsa.

Sed quantum ad aliam partem quæstionis, Vtrum quod nascitur de aliquo effectuè, debeat dici Filius eius tanquam Patris, patet, quòd Pater est principale agens. & naturale, & eiusdem naturæ cum Filio, propter quod, licet Christus, secundum quod homo possit dici effectuè natus de Spiritu Sancto, id tamen non fuerit naturaliter, sed supernaturaliter, quia Christi conceptio, & organizatio fuit facta in uno, & eodem instanti: Rursus licet Christus, in eo quod est Deus, sit eiusdem naturæ cum Spiritu Sancto, tamen ut homo; & ut conceptus de Spiritu Sancto, non est eiusdem naturæ cum illo, & ideo non est Filius Spiritus Sancti, nec propriè Spiritus Sanctus est pater eius.

Aqua Ba-
ptismi est
organū di-
uina mis-
ericordiæ: &
ignis infer-
ni organū
diuina iu-
stitiæ.

Si inuenia-
tur baptiza-
tum dici a-
qua filium:
Intelligi-
bet trans-
pne, non
propriè.

C Ex hoc etiam patet, quòd baptizatus non debet dici filius aquæ, quia aqua non regenerat baptizatum ut agens principale, sed ut instrumentale, & ut organū diuinæ misericordiæ. Lauat enim aqua baptismatis animam, quæ est spiritus, ut organum diuinæ misericordiæ, sicut ignis inferni agit in spiritum, & affligit spiritum, non principaliter, sed ut organum diuinæ iustitiæ. Et si inueniatur, quòd baptizatus sit filius aquæ, hoc non erit propriè, & principaliter, sed transumptuè, & secundum aliquam similitudinem, secundum quem modum loquitur Philos. in Topicis, quòd omnes transferentes, secundum aliquam similitudinem transferat.

Dub. III. Litteralis.

V LTERIVS autem dubitatur de eo, quòd in littera dicitur: *Vt enim omissam aliter de homine nasci filium, aliter capillum.* Videtur quod hoc non sit aliqua sententia, quia illud verbum, omissam, quod est verbum transituum, non habet casum accusativum, in quem transeat.

DICENDVM, quod communiter

PARS III.

A textus sententiarū ita habent: sed si recurramus ad text. Augustini Enchirid. cap. 37. vnde ista verba sunt desumpta tollitur talis dubitatio, sic enim stat ibi ^{tom. 3.} textus, ut enim omissam aliter &c.

Dub. IV. Litteralis.

V LTERIVS fortè dubitaret aliquis, de eo, quod in littera dicitur, *Dicuntur etiam filij gehennæ.* quomodo hoc habeat veritatem.

DICENDVM hoc esse consuetum in Scriptura sacra, quod aliquis dicatur filius eius, quod iustè meruit, secundum quem modum loquitur David Reg. 26. quando tulit lanceam Saul dormientis, & scyphum aquæ, qui erat ad caput eius, cum ait: *Vixit Dominus, quoniam filij mortis es sis, quia non custodisti Dominum vestrum Christum Domini,* id est Regem, quia ergo negligentes regis custodiam, iustè merebantur mortem, debebant dici filij mortis, sic quia peccatores iustè merentur gehennam, possunt dici filij gehennæ.

C

Dub. V. Litteralis.

V LTERIVS fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur de Christo homine: *divina gratia corporaliter est repletus.*

D Sed contra. Quia esse corporaliter in aliquo, est esse ibi circumscriptiuè. Deitas autem, vel diuina gratia non est in aliquo circumscriptiuè: ergo &c.

Præterea. Angelus, qui respectu Dei potest dici, quid corporale, non est alicubi corporaliter: multò magis ergo ipsa Deitas, vel ipsa diuina gratia non potest alicui corporaliter inesse.

DICENDVM, Deitatem, vel diuinam gratiam esse in Christo corporaliter, duplicitate posse verificari. Vno quidem modo, quia ipse Deus, vel Deitas in Christo non solum fuit unita animæ Christi, sed etiam eius corpori, & eius

Quomodo
Christusdi-
catur diui-
na gratia
corporali-
ter reple-
tus.

eius carni , vt hoc modo Deus , vel Deitas Christi , vel eius gratia vniōnis , secundūm quam humanitas est vni-
ta Deo , vel Deitati , diceretur esse in
Christo corporaliter , quia etiam ipsi
carni , & corpori erat vnitus Dei Filius ,
& illius Deitas .

Secundo modo hoc potest verificari ,
vt esse corporaliter idem est , sicut quod
esse plenē , vel secundūm plenitudinem .
Et hoc sonant verba textus , cùm dicitur ,
quod homo ille diuina gratia corporali-
ter est repletus . Dicemus ergo , quod li-
nea in his rebus corporalibus habet lon-
gitudinem tantum , superficies verò ha-
bet longitudinem , & latitudinem , sed
corpus habet omnem dimensionem , lon-
gitudinem , latitudinem , & profundita-
tem . Propter quod corpus sic est plenum
dimensionibus , quod ultra dimensiones
corporis non est dare aliquam aliam di-
mensionem . Dicitur ergo homo ille esse
repletus Deitate , vel diuina gratia cor-
poraliter , quia ultra vniōnem , quam ha-
bet Deus , & Deitas ad humanitatem
Christi , non est dare aliquam aliam vniō-
nem Dei , vel Deitatis possibilem ad
quocunque aliud , vt supra ostendimus ,
cùm narrauimus omnes modos vnitatis ,
quos habet Deus ad res alias . Quod ve-
rò arguebatur in contrarium , quod esse
in aliquo corporaliter , est esse in eo cir-
cumscriptiū , patet non esse hunc intel-
lectum verbi propositi , vt est per habita
manifestum .

Dub. V I. Litteralis.

VLTERIVS autem du-
bitatur de eo , quod in
littera habetur : *Concep-
tus , & natus de Spi-
ritu Sancto , dicitur
Christus , secundūm
quod homo . Vtrum
hoc sit propriè dictum .*

DICENDVM , quod Christus potest
dici conceptus , & natus de Spiritu Sancto ,
& de Maria Virgine , quia tām conceptio
eius , quām humanitas facta est virtute
Spiritus Sancti ex Maria Virgine . Tamen
si volumus hāc duo p̄fatis duobus pro-
priè attribuere , dicemus , quod in Symbo-
lo Aegid. super iij. Sent.

A lo dicitur , quod Christus est conceptus de
Spiritu Sancto , quia in uno , & eodem in-
stanti eius conceptio , & organizatio facta
sunt ; sed dicitur natus ex Maria Virgine ,
quia ex Virginis vtero nativitas facta fuit .

Dub. VII. Litteralis .

VLTERIVS autem du-
bitatur de eo , quod in
littera dicitur , *Christus
esse factum ex semine
David . Sed contra hoc
est , quod dicit Damas.
lib. 3. c. 2. non semina-
liter Christum esse factum .*

DICENDVM , quod quantum ad pro-
ximam Christi generationem , Christus
non est factus seminaliter ex Virgine , sed
virtute Spiritus Sancti , quantum verò ad
generationem matris , & aliorum præde-
cessorum parentum fuit facta generatio
seminaliter , quia omnes huiusmodi parē-
rentes nati sunt per concubitum viri , &
mulieris .

Christus fuit
ex semine
David remo-
te , non pro-
xime .

Dub. VIII. Litteralis .

VLTERIVS autem du-
bitatur de eo , quod in
littera dicitur , *aliud est
fieri , & aliud nasci .
Sed contra . Fieri vide-
tur etiam quid com-
mune ad omne illud ,
quod fit ex aliqua materia . ergo &c.*

DICENDVM , quod possumus dare
differentiam inter facere , & agere , quia
facere videtur significare actionem tran-
seuntem in exteriorem materiam , secun-
dnū quem modum dicitur in 6. Ethicor.
quod *ars est ratio factibilium : age-*
re autem potest importare actionem non
transeuntem , secundūm quem modum
dicitur in eodem sexto , quod *prudentia*
est recta ratio agibilium . Sic etiam possumus
dare differentiam inter esse factum ,
& esse natum , quia facere semper dicit
aliquid pertinens ad voluntatem propriè
loquendo , sed nasci , vel generari potest
importare , vel de se videtur magis impor-
tare aliquid naturaliter productū , propter
quod parentes generāt filios , & filii nascū-
tur

Facere si-
gnificat a-
ctionē tran-
seuntem .
Agere verò
actionē nō
transeuntem
in exteri-
orem mate-
riam .

tur ex eis; & ideo in littera dicitur, quod possunt homines generare filios homines, non autem facere; sed Christus respectu Spiritus Sancti potest dici conceptus, natus, & factus. Ex eo conceptus quidem, quia in instanti corpus Christi fuit virtute Spiritus Sancti conceptum, & organizatum in Virgine. Natus vero, quia nisi fetus, vel filius aliquis esset conceptus in utero, non posset nasci ex utero: factus autem, quia factio illa, qua conceptus fuit Christus, procedebat a voluntaria operatione totius Trinitatis, & appropriata a Spiritu Sancto.

DISTINCTIO V.



R A E T E R E A
inquiri oportet,
&c. Postquam Magister determinauit de Incarnatione Verbi, quantum ad assumentem in primadistinctione, & de huiusmodi incarnatione, quantum ad rem assumptam, in secunda, tertia, & quarta: In hac quinta distinctione determinat de incarnatione Verbi, quantum ad utrumque, querens in huiusmodi incarnatione, quid fuerit ibi assumens, & quid assumptum.

Circa quod duo facit, quia primo de huiusmodi incarnatione mouet questionem quadrimembrem, videlicet, Utrum persona assumperit personam. Utrum natura assumperit personam. Utrum persona assumperit naturam, & Utrum natura assumperit naturam. Secundò circa hoc idem mouet alias quasdam questiones, ibi, *Si queritur Utrum.* Circa primum duo facit, quia primo mouet prefatam quadrimembrem questionem. Secundò ad questionem prælibatam respondet ibi, quasi statim. *post hanc inquisitio.* Dicit ergo, quod inquire oportet, quid eorum potius concedendum sit, vel quod natura naturam, vel quod natura personam, vel quod persona naturam: Deinde cum dicit, *Hæc inquisitio,* respondet ad propositam quadrimembrem questionem.

PARS I.

A Ad cuius evidentiam, sciendum, quod prefatæ quadrimembri questionis duo membra sunt nota, & clara, negatione, quia persona non assumpsit personam, nec natura assumpsit personam, nullo enim modo persona fuit assumpta. Tertium autem membrum est clarum affirmatione, videlicet quod persona assumperit naturam, quia persona diuina assumpsit naturam humanam. Duo ergo facit, quia primo respondet ad tria membra prefatæ questionis, quorum duo sunt clara negatione, & unum est clarum affirmatione. Secundo respondet ad quartum membrum, Utrum natura diuina assumperit naturam humanam, quod est scrupulosum, & difficile. Secunda ibi: *de quarta vero.* Circà quod duo facit, quia primo arguit ad partem negationum, quod natura non assumperit naturam, sed persona naturam. Secundo autem ad partem affirmatiuum, ostendens, quod natura diuina assumpsit naturam humanam. ibi: *Cui videtur obuiare.* Circa quod tria facit, quia primo adducit autoritatem Augustini, quæ videtur asserere, naturam diuinam assumpsisse naturam humanam. Secundo, quia authoritas Augustini non clare ostendit propositum, quia videtur, quod accipiatur ibi natura diuina pro persona diuina, adducit plures alias authoritates, clare asserentes, diuinam naturam assumpsisse humanam. Tertio ex ijs, quæ dixerat, concludit duas partes illius quadrimembri questionis concedendas esse, videlicet, quod diuina persona naturam humanam, & natura diuina naturam humanam sibi vniuit, & copulavit. Secunda ibi: *Sed alibi certum.* Tertia ibi: *Ex verbis autem.* Circa quod tria facit, quia primo concludit prefatas duas partes esse asserendas. Secundo declarat, quomodo illæ duæ partes sunt intelligendæ, & sunt asserendæ. Tertio quod dixerat, probat per Damascen. Secunda ibi: *Nos autem omnes mendacij.* Tertia ibi: *qui sensus ex verbis.*

Tunc sequitur alia pars, *Sed queritur utrum.* In qua circa incarnationem Verbi, & circa assumptionem carnis mouet quasdam alias questiones. Circa quod duo facit, quia primo mouet questionem de

de natura, Vtrum natura diuina debeat A dici caro facta, vel facta homo. Secundò mouet questionem de persona, Vtrum persona diuina dicatur assumptissimam personam humanam, ibi, *ideo verò non personam*. Circa primum duo facit, secundum quod duas questiones mouet, & soluit, quarum prima est, Vtrum natura diuina dicatur caro facta. Secunda est, Vtrum natura diuina dicatur facta homo. secunda ibi: *si autem natura diuina*. Tunc sequitur illa pars: *ideo verò non personam*; in qua mouet questionem de persona diuina, B Vtrum assumperit personam humanam. Circa quod duo facit, quia primo circa hoc determinat veritatem, afferens, quod persona diuina non assumpsit personam humanam. Secundò contra veritatem determinatam opponit ibi; *Hoc à quibusdam opponitur*. Circa quod tria facit, quia primò obijcit contra determinata, ex parte ipsius animæ, quia si persona Verbi assumpsit animam rationalem, at animæ rationali cōpetit definitio personæ, ergo Verbum assumpsit personam. Primò ergo ponit hanc obiectionem de anima, & soluit: Secundò obijcit de ipso homine, quia Augustinus, sub anathemate tradit; *Qui dixerit, vel crediderit hominem non esse assumptum à Verbo*. Et Psalm. 64. dicit: *Beatus quem elegisti, & assumpisti*. Si igitur homo est assumptus à Verbo, ergo aliquis homo, & per consequens aliqua persona. Tertiò circa presata determinat veritatem. Secunda ibi: *Aliter quoque*. Tertia ibi. *Quia hoc nefas*. Circa quod duo facit, quia primò facit, quod dictum est. Secundò docet respondere ad hanc questionem. Vtrum aliquis homo, vel quidam homo sit assumptus à Verbo, dicens, quod si ibi, per ly homo, intelligatur persona, respondendum est, quod non, si intelligatur natura, respondendum est, quod sic. Secunda ibi: *Quocirca*. Et in hoc terminatur sententia presentis lectionis, & distinctionis.



QVAESTIO PRIMA.

De ipsa Unione.

VIA Magister in hac quinta distinctione agit de conditionibus assumptionis, & assumpti, cum assumptione non possit fieri sine unione, ideo de tribus queremus principaliter. Primo de ipsa unione. Secundo de assumente. Tertio de re assumpta. Circa primum, idest, circa unionem queruntur tria.

Primo. Quid sit unio. Vtrum sit quid creatum.

Secundò. In quo sit facta huiusmodi unio. Vtrum sit facta in natura.

Tertiò. Vtrum sit facta in persona.

ARTIC. I.

Vtrum unio Verbi ad naturam humanam sit quid creatum. Conclusionis est affirmativa.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 7. Caiet. Medina. Silvius. Nazar. ibidem. Suarez tom. 1. disp. 7. sect. 5. Cabrera. ibidem disp. 1. & 2. Vasquez disp. 18. cap. 5. Ricchiar. in 3. d. 5. art. 2. q. 1. Alenf. 3. p. q. 12. memb. 1. art. 1.



D primum sic proceditur: Videtur, quod unio, de qua loquimur, non sit quid creatum. Nam unio habet esse in ipsa re, que est unita naturæ humanae: ergo in ipsa natura diuina, vel in ipso Deo habet esse huiusmodi unio: sed quicquid est in Deo est Deus, & est quid in creatum: ergo &c.

Præterea. Unio videtur esse relatum æquiparantem, sed talia relativa æqualiter videntur habere se ad utrumque extre- morum;

morum; ergo vnio Dei ad naturam creatam, vel erit in Deo, vel in creatura: & si erit in Deo tunc erit quid increatum: si erit in creatura erit quid creatum: & sic erit aliquid creatum, & increatum. ex quo non potest argui, quod sit quid increatum tantum.

Præterea. Vnio Dei ad creaturam est quid medium inter Deum, & creaturam, sed medium non est aliquod extremorum, ergo huiusmodi vnius non est creator, nec creatura.

Præterea. Quicquid dicitur de Deo, vel dicitur per causam, sicut dicitur de Spiritu Sancto ad Rom. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis*, idest facit nos postulare. vel dicitur per assumptionem, sicut dicitur Deus factus homo, quia assumpsit naturam humanam, vel dicitur tertio per similitudinem, sive per metaphoram, sicut dicitur, ouis, leo, & lapis angularis. Si ergo dicitur unitum naturę humanę, vel huiusmodi vnius conuenit Deo per causam, & tunc dicetur unitus, quia fuit causa illius unionis. Vel dicitur hoc per assumptionem, ut dicatur vnius de Deo, quia assumpsit unitatem, cum hoc non possit fieri nisi mediante aliqua unione, quo posito revertitur in unionibus in infinitum, quia illa alia vnius non posset viri, nisi mediante aliqua unione. Restat igitur, quod vnius Dei ad naturam humanam sit facta metaphoricè. Esset ergo Deus naturę humanę unitus, non propriè, & verè, sed metaphoricè, ut hoc modo huiusmodi vnius verè, & propriè non sit quid creatum: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia quicquid non est eternum, est quid creatum, & est creatura, huiusmodi est vnius, de qua loquimur, ergo &c.

Præterea. Quicquid non est creator est creatura: huiusmodi vero vnius non est ipse creator: ergo &c.

A

Dub. I. Lateralis.

Utrum hæc vnius fuerit maxima inter omnes alias uniones. Conclusio est affirmativa.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 9. Caiet. Medina. Cabrera ibidem. disput. 1. & 2. Val. t. 4. d. 1. q. 2. p. 6. Nazar. q. 2. art. 9. controv. vnicula. Albertinus tom. 2. coroll. 5. de praedicam. subft. dub. 2. Ricchar. in 3. d. 6. art. 3. q. 3. Valquez disp. 20. per totum.

B



L T E R I V S autem dubitatur. Vtrū talis vnius fuerit maxima inter omnes alias uniones, & videtur, quod non; quia quanto extrema magis distant, tanto est minor vnius, sed natura diuina, & natura humana maximè distant, ergo eorum erit minima vnius.

C

Præterea. Quanto est maior compositione, tanto est minor vnius: sed in Christo homine est maximè compositione. Nam in quolibet puro homine est etiam maxima compositione, quia animata sunt magis composita, quam inanimata, & animata sensibilia magis, quam vegetabilia, & rationalia magis, quam irrationalia, quod declarat multitudo, & pluralitas potentiarum. Erit ergo in quolibet puro homine maxima compositione. Sed in Christo ultra omnes istas compositiones est compositione, vel vnius diuinæ naturæ ad humanam, ergo talis vnius non est maxima, sed minima.

IN CONTRARIUM est Augustinus in Enchiridio. cap. 36. dicens, *hanc D.P. Aug. Tom. 3. unionem esse tantam*, idest, tam magnam, quia est in unitatem personæ.



Dub.

Dub. II. Lateralis.

Vtrum hæc vnio differat ab assumptione. Conclusio est affirmativa.

D.Thom.3.p.q.2.art.8.Silvius.Cajet.Medina.Cabrera
ibidem.Nazar.ibid. controu.1.2.& 3.Ricchar.
in 3.d.5.art.2.q.2.Argent.in 3.d. 5.q.1.
art.4.Aluarez. disp.30.



LTERIVS autem dubitatur. Vtrum huiusmodivnio differat ab assumptione. Et videtur quod non, quia quicquid assumitur, assumenti vnitur, quod non esset, nisi assumptio esset idem quod vnio: ergo &c.

Præterea. Quicquid non potest separati, nec re, nec intellectu, videtur esse idem cum illo: sed assumptionis humanæ naturæ non potest separari ab unione re, quia non potest hæc esse sine illa, nec intellectu, quia non potest intelligi talis assumptionis sine unione: ergo &c.

IN CONTRARIVM est. Quia quando aliqua duo sunt idem, non potest unum competere alicui, nisi competit sibi aliud: sed vniuersitatem humanam naturam Filio, competit toti Trinitati: ergo non sunt idem vniuersitas, & assumere, & per consequens vniuo non est idem, quod assumptionis.

RESOLVTIO ARTICVLI
Principalis.

Vnio Verbi ad naturam humanam est quid creatum, siue sumatur vniuo, ut est actio, siue ut est relatio: quia, ut est actio, non est immanens, sed transiens, quæ mutationem presupponit, & nouitatem includit. Ut est relatio, est aliquid reale in natura humana, quæ mutatur, non autem in Deo, in quo est tantum secundum rationem.

RESPONDEO dicendum ad questionem primam, cum queritur, quid est vniuo; Vtrum sit quid increatum. Dice-

A mus enim; quod vniuo dicit actionem quandam, ex qua actione habet esse relationem quædam vnitorum ad inuicem. Hoc est enim vniuersalita aliquia, coniungere illa, vel facere illa esse unita, & coniuncta. Ex qua factione resultat quædam relationem vnitorum ad inuicem. Propter quod vniuo potest dicere, vel actionem, qua vniuntur aliquia, vel ipsam relationem, qua ad inuicem referuntur unita. Vtique ergo modo, tam ratione actionis, quam ratione relationis, ostendere possumus, unionem illam, de qua loquimur, esse quid creatum. Ratione ergo actionis ostendemus tripliciter unionem illam, de qua loquimur, esse quid creatum. Primo, prout huiusmodi vniuo non est actio quælibet, sed est actio transiens. Secundo, prout est actio mutationem presupponens. Tertio, prout est actio nouitatem quandam includens.

Prima via sic patet. Nam in Deo, & in quolibet agente, per intellectum, & voluntatem est duplex actio, immanens, sicut velle, & intelligere, & transiens, sicut est agere in effectu, vel operari in exteriori materia. Et si hæc volumus adaptare ad Deum, dicemus, quod velle, & intelligere Dei sunt quid increatum, & sunt idem, quod ipse Deus, sed vniuersus Verbo, vel Dei Filio naturam humanam, quantumcumque aliam à natura diuina, est actio transiens in exteriori materia, vel est transiens in naturam aliam à natura diuina, ideo oportet talem actionem, quia est actio transiens, esse quid creatum. Nec propter hoc tollitur veritas unionis, quia verè ex tali actione transeunte, quæ competit toti Trinitati (quia, ut supra patuit tota Trinitas vniuit humanam naturam Verbo) verè ex tali actione, humana natura est sic unita.

Secunda via ad hoc idem sumi potest, non solum, prout talis actio est transiens, sed prout est motus, vel mutationem presupponens. Nam non potuit fieri talis vniuo, nisi motu, vel mutatione aliqua facta in humana natura. Et quia Deo nec motus, nec mutatione competere possunt, quia ut probatur in 8.physic. est deuenire ad aliquid omnino immobile per se, per accidens, & ab intra, & ut ait Boetius de ipso Deo, quod stabilis in se manens, dat

Vnio dicit actionem & relationem inter unita

tripliciter ostenditur unionem, ut actio est, est quid creatum.

In quolibet agente per intellectum, & voluntatem, est duplex actio, immanens, & transiens.

Vnio Verbi ad naturam humanam est actio transiens.

Arilt.8.phy. fcc.t.46.